

TERMINORUM
JURIS
CANONICO-CIVILIS
INTERPRETATIO.

Ad Usam

CANDIDATORUM JURISPRUDENTIÆ,
curæ & operâ

M. FRANCISCI MINOCKI
In Alma Universitate Cracoviensi Utriusq;
Juris Professoris, Collegæ Juridici, Ecclesia-
rum Collegiæ SS. OO. Crac: PRIMICERII,
Parochialis in Modlnica Curati, Judiciorum
Illrmi Consistorii Generalis Posn.: ASSESORIS,
in eadem Diœcesi Librorum CENSORIS,
& EXAMINATORIS Synodalis, Apostolici
NOTARII, ac protunc Studii Academiae Po-
snaniensis RECTORIS.

*Cum appendice Axiomatum Utriusq; Juris,
secundum Ordinem Alphabeticum*

COLLECTIO

Annô Domini

Qui legem dedit, legem in

** Can: Ideo. §. Hys mag. 25. q. 1.*

POSNANIÆ, Typis ACADEMICIS.

*Oblatus est mihi ab Antione rate libe
M. N. Dwidzki Academiæ Alre Ducab
1776*

Handwritten note in red ink, written vertically on the right edge of the page.



Handwritten notes in red ink on the left page, including the number '1777' and other illegible text.



Ad Tyrones Jurisprudentiæ.

Prima juris principia nosse, pars est potissima rei. *gloss: in l. 1. ff. De Orig: Jur.*

Nihil tam magis delectat ingenium, quam principiorum & Axiomatum juris usus. *gloss: in l. 1. ff. Quod metus causã.*

Ingenii vis primis præceptis alitur & crescit. *Seneca Epist: 94.*

Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ,

Hoc lege, quod possis dicere, jure meum est. *Martial: Lib: 10.*

Reddere Jura Foro, componere Legibus Orbem,
Fas est Jura sinunt. *Manil: Lib: 1. Epigram.*



PRÆFATIO

Ad Lectorem.

48

53

*Das A 644
Zack 3032*

Multa fuere incitabula (crede L. C.) quæ ad Terminorum Juris Canonico-Civilis interpretationem quoquo faciliori modo colligendam, justò impulerunt Authorem, maximum inter cætera Candidatorum Jurisprudentiæ, Studiosæq; Legum Juventutis publica utilitas. Cum enim permulti sive operam suã, sive promptos animos Jurisprudentiæ ad movere vellent, aut varia Legum revolverent Volumina; in ipsaq; velut subobscura quadam Terminorum Juris ambiguitate detenti, post posita rei de qua agebatur cognitione, quasi inextricabili quodam Labyrintho involuti, confusioneq; ac metu perterriti, jura velut ad umbrata taliter desererent, ab ipsaq; animum prorsus retrahere cogerentur, diutius hoc intra me ipsum aliquando cogitaveram, quomodo hac de re (si aliunde non esset consultum) quàm optimo posset provideri eventu, non modicæ necessitatis futurum arbitror, ut materiam isthanc Terminorum Juris per varia Legum Volumina dispersam, in unum quasi

exiguum Corpus aliquoquo brevi, & facili
 compendiō collectam redigerem. Enimverò:
 Utriusq; Jurisprudentiæ Candidati, & Ty-
 rones, nunquam facilius penetralia ejuldem
 adire, intima rimari, arcana scrutari pote-
 runt, nisi principiorum Terminorumq; Juris
 notitiam studio perceperint. Quàm utilis e-
 nim & summè necessarius principiorum Ter-
 minorumq; Juris usus, hic optime noverit, què
 cognita eorundem naturâ, claritate perspe-
 cta, brevitate, qua ingenium delectant, gloss:
 in l. i. ff. Quod metus cau: & l. i. ff. De Re
 judicata, acceptata, in studium eorum gratif-
 simò conabitur propendere animò. Quapro-
 pter hujusmodi provinciam pro quadam ani-
 mi mei satisfactione, & privato studio, tem-
 pore quo dabatur occasio, eòq; vel maximè,
 quo me quasi otiosum domi continerem, liben-
 ter aggressus sum, & opusculum isthoc qua-
 lecunq; sit perfecì. Quæcunq; hic leges, Autho-
 rum Clariorum sunt, in Tui nihilominus
 commodum collecta. In omni quod revolves
 opere, si quid boni forte repertum fuerit, id
 totum Divinæ Sapientiæ, à Qua venit omne
 bonum optimum, & omne donum perfectum,
 Can: Quàm pio. i. q. 2. tribuas. Et quoni-
 am non me latet, quod is qui scribit multos

(m-

(inquit D. Hieronymus) sumit Judices, dum
 facile alter in alterius ingenium invehitur, &
 quod is solus malignantium lingua evitat,
 qui nihil scribit, propterea si quid (quod ma-
 gis vereor) perperam, & malè scriptum of-
 fendes, imbecillitati, & imperfecti meæ ad
 scribas, & piè corrigas velim, & rogo.



T A B U L A

In qua ostēditur frequentior usus legēdi, &
scribendi abbreviaciones in utroq; Jure.

arg: c. v. l.	argumento capituli,
art:	articulo (v. legis,
auth:	authentica
C.	Codice
c.	capitulo
c. c.	Lege communiter
c. v. c.	contra
Can:	Canone
Caus:	Causa
Collat:	Collatione
Clem:	Clementina
d. c.	Lege dicto capitulo
d. l.	dicta lege
d. §.	dicto paragrapho
D. D.	Doctores
Dist:	Distinctione
De Conf:	De Consecratione
De Pœnit:	De Pœnitentia
De Pœn:	De Pœnis
e. t.	eodem titulo
Extravag:	Lege Extravaganti
ff.	Digestis
f. r.	felicitis recordationis
fin: v. g. l. fin.	finali, v. g. lege finali

gl:

gl: v. gloss.

h. t.

I & I.

ī.

j. gl.

ix.

L. v. l.

L. L.

l. c.

L. S.

n.

Novel.

p.

p. m.

pen:

Q. v. q.

R. J.

Rot:

R. vel Rubr.

s.

sequ:

§.

t. t.

tex:

un:

ult:

x.

glossa

hoc titulo

Jure & Justitia

infra

Lege juncta glossa

juxta

Lex: vel lege

Legibus.

locō citatō

Locus Sigilli

numerō

Novella

Lege parte

pie memoriæ

penultimo

Questio v. questione

Regula Juris

Rota

Rubrica

supra

Lege sequenti

Paragrapho


toto titulo

textu

Lege unico

ultimo

extra.






APPROBATIO.

Opusculum hoc = Cui Titulus = Terminorum Juris Canonico-Civilis Interpretatio = gratissima claritate collectum, nec dubium, quin Lectoris occupet animum, Jurisq; Candidatis desideratissimam adferat utilitatem, dignum prælo censeo. Dat: Posnaniæ, Die 3. August. Anno 1773.

*MARTINUS JOSEPHUS OLLRYCH, U. F. D.
Canonicus Cathedralis, Juridex Surrogatus Posnaniensis.*



63.

TERMINORUM JURIS Canonico - Civilis INTERPRETATIO

Secundum Ordinem Alfabeticum

COLLECTA.

A.


QUO-AD QUEM de jure, id est à Jure Inferiore, ad Superiorem.


ANGEATUS est quædam species *Furti*; quod committunt illi, qui pecora ex pascuis vel armentis subtrahunt, & deprædantur, item equos de gregibus vel oves de armentis furto abducunt.

ACCEPTILATIO est imaginaria solutio, quando scilicet interrogatus creditor debitori respondet, se id quod sibi debetur acceptum habere, ut v.g. habesne acceptum, quod tibi promisi, vel debui? & tu respondes habeo!

A

Actio





ACTIO PERSONALIS est qua convenimus eum, qui nobis ex contractu, vel ex delicto, vel quasi ex delicto obligatus est. Dicitur *Personalis*, quia in Persona obligata ita manet defixa, ut eam non egrediatur, hoc est ut contra tertium, vel successorem non detur, sed hanc & non aliam Personam afficiat.

ACTIO REALIS dicitur, qua rem nostram, quæ ab alio possidetur; petimus, propriè dicitur *Rei vindicatio*.


ACTOR dicitur, qui agit contra aliquem apud Judicem Rei competentem.

ACTIO REDHIBITORIA est ea, quæ datur Emptori contra venditorè; ut animal morbidum, vel etiam rem vitiosam, quam quis cognitò vitiò non emisset recipiat, pretiùmque eus restituat.

ACCESSORIUM dicitur illud, quod vel ex natura rei, vel dispositione Legis, vel partium conventionem dependet ab alio, cui tanquam suo Principali inest, vel accedit, aut comitatur illud.

ACTIO ad Palinodiam dicitur, quando intentatur actio, occasione injuriæ verbalis, ut scilicet injurians verba injuriosa recitet,

seu



seu revocet, & lateatur illa vera non esse.

ADDICTIO in diem, vocatur in contractibus si rescindantur propter pactum, v.g. Si venditor dicat — Si alius in certum tempus majus pretium obtulerit, res inempta sit.

ADVERSUS Decretum restitui intelligitur, cum quis Sententiã Judicis contra se lata, læsus & gravatus; adductis coram Eodem Judice legitimis & justis rationibus petit se in pristinum Causæ Statum reduci.

AFFINITAS dicitur, propinquitas quædam Personarum, quæ ex copula carnali oritur, inter consanguineos Viri, & solam mulierem, item inter consanguineos Mulieris, & solum Virum.

ADDE Nomina affinium hæc sunt — **Vitricus Oyczym**, id est Maritus præsens Matris meæ. — **Noverca Macocha**, id est Uxor moderna Patris mei. — **Socer Swiekier**, Idè dicitur **Test**, est Viri, vel Uxoris Pater. — **Socrus Swiekra**, est Viri, vel Uxoris Mater. **Gener Zigt**, est Maritus Filia. — **Nurus Synowa**, est Filii Uxor. — **Privignus Pasierb**, est Mariti, v. Uxoris Filius. — **Privigna Pasierbica**, est Mariti, vel Uxoris Filia. — **Levir Dziewierz**, est Mariti Frater.

A2

Swieit

Swięta, est Mariti Soror. = Fratris Uxor, *Bratowa*, aliter dicitur *Fratrissa*. Hinc dicitur *Affinitas*, *Powinnowaćstwo*, *álbo*, *przyiacielstwo* po *Matzeństwie*.

AGNATI, & **COGNATI** differunt inter se, eò, quòd *Agnati* vocentur illi, qui ex eodẽ sanguine, per virilem lineam descendunt, *Cognati* verò illi, qui ex eodem pariter sanguine, sed per lineam *Familię* descendunt, aut clarius loquendo. *Agnatio* propriè descendit ex consanguinitate Paterna, seu (ut vocant) ex parte *Gladii* vulgo po *Mieczu*. *Cognatio* verò ex Materna, seu (ut vocant) ex parte *Fusis*; vulgò po *Kędzieli*.

ALLODIA vocantur eujusq; propria bona, absq; recognitione alterius Domini directi.

ALIENI JURIS dicuntur illi, qui dominica vel Patria potestate continentur.

AMORTIZATIONIS LEX dicitur in jure prohibitiò, quã Princeps, aut Magistratus sæcularis interdicit subditis, ne aliquid, præsertim bona immobilia Ecclesiis, sive Personis Ecclesiasticis vendant, verùm hæc invalida & illicita à multis deducitur.

ANNATÆ dicuntur fructus primi Anni ex Beneficiis Sedi Apostolicę reservatis, Camera Ipsius persolvendi.

AN-

ANGUSTIA LOCI vocatur de jure Canonico, ille locus, in quo Puella non invenit sponsum sibi æqualem, vel parem, nisi consanguineum aliquem, vel affinem, cui si nubere non liceret, deberet manere innupta, vel nubere tali qui vel statu, conditione, aut divitiis inferior, vel moribus, aut religione dispar esset, quòd si verò eidem nubere velit; dispensatio procurari debet.

ANNI DISCRETIONIS vocantur ætas illa, per quam Minoribus Tutores debent resignare bona, postquam nacti fuerint *vg.* annos 15, nihilominus pueri tales, ante annum 24. non possunt illa bona alienare absq; consensu Consanguineorũ, seu Amicorum, ita *Herburt. in Stat. Regni Pol. pag. 16.*

ANNULANDA SENTENTIA dicitur tunc, quando valida quidem est sententia, aliquo tamen ex fonte injusta.

ANNUS GRATIÆ juxta receptam locorũ consuetudinem est, quod quilibet Prælatas, Canonicus, Altarista, Plebanus, Vicarius, & ex quocunq; titulo beneficiatus, *vg.* in Diocesi Crac: & aliis (ubi viget consuetudo) si moritur in primis tribus mensibus anni, incipiendo à Circumcisione Domini, habere

debet quartam partem omnium proventuum, & successori frumenta æstiva relinquere tenetur, si verò in tribus secundis mensibus, habet medietatem, si in tertiis tribus mensibus habet tres partes, de frumētis hyemalibus ad quantitatem prædii in quantum non seminati Successori relictis. Sed in residuis tribus mensibus habet totum, *ita Herbart adnotavit. v. Annus Gratiæ in Stat. Regni Pol.*

APOCHA est qua debitum nobis solutum esse fatemur.

APOSTOLI sunt Literæ, quas Judex à Quo transmittit ad Superiorem, ad Quem appellatum est.

APPELLATIO est ab Inferiore ad Superiorem Judicem facta provocatio.

APPELLATIO dicitur *deserta*, non solum si appellans tempus interponendæ, & præsentandæ Appellationis non observaverit, sed etiam si aliquem Actum Appellationi contrarium, stante ea egerit.

APPELLATIO à definitiva potest in continenti, seu stante pede fieri oretenus per verbum *Apello*.

APPELLATIO ab interlocutoria, vel gra-

vamine aliquo, debet fieri in scriptis, & debet causa appellationis exprimi. *De jure Civili* solum à Sententia definitiva, eaq; valida appellare licet, non verò ab interlocutoria; nisi vim definitivæ habeat & contineat gravamen irreparabile. *De jure verò Canonico* non tantum à definitiva, sed etiam ab interlocutoria, imo ab omni illato gravamine, vel inferendo, data causâ legitimâ & rationabili, ac in scripturam redactâ appellare licet.

ARESTUM sive *Arestatio*, est rei, aut Personæ alicujus retentio securitatis gratiâ.

ARBITER dicitur Vir ad æstimandum, & terminandum negotium electus, qui procedit servato juris Ordine.

ARBITRI JURIS vocantur, qui ex necessitate, seu ex præscripto legis à Judice, vel à Partibus constituuntur.

ARBITRI voluntarii, seu *compromissarii* dicuntur, qui ex libera partium conventionne, seu compromisso constituuntur.

ARBITRATOR dicitur Vir, qui solum ex æquo & bono controversiam componit, aliter vocatur amicus cōpositor, seu mediator. Hinc *Arbiter* procedit juris ordin-

ne fervato, non *Arbitrator*. Illius sententia dicitur *Arbitrium*, hujus verò *Arbitramentum*.

ARRHA est id quod traditur sponso, vel sponsæ in signum atq; confirmationē sponsalium contractorum.

ARISTOCRATIA est, quando jura Majestatis & Potestatis resident penes Optimates ut apud Venetos &c.

ARTIGULUS in *jure* dicitur, pars intentiōnis continens id, quod quis contra alium probare intendit.

ASSASSINIUM vocatur tunc, quando pro pecunia, vel alia re pretio æstimabili accepta, vel promissa; committitur homicidiū.

ASYLUM, seu *Jus Asyli*, seu *Immunitas* vocatur jus Ecclesiis & Sacris, necnon aliis quibusdam locis competens, confugiētib; ad ea malefactoribus securitatem præstans.

ATTENTATUM sumitur pro facto; quo aliquid appellatione, seu lite pendente innovatur contra jus.

AVOCATIO Causæ, est litis-pendentis ab Inferiore Judice, ad Superiorem citra appellationem, facta translatio in eo statu, in quo apud Inferiorem reperitur.

B.

B.

BANNITUS capitaliter, & cum Honorum publicatione dicitur, qui ex justa causa condemnatus, amittit omnia beneficia juris cōmunis, ita ut possit impunè offendi in Persona & rebus, & habetur pro mortuo.

BARRATARIA vocatur crimen, quod committitur à Judice, quando pecuniā corruptus injustam fert sententiam.

BENEFICIUM Ordinis, seu Excussionis vocatur, quò constitutū est, ut creditor servet ordinem, & non conveniat Fidejussorem, nisi exacto & exessu prius Debitore Principali.

BENEFICIUM Divisionis, vocatur Beneficium Fidejussoribus concessum, quò constitutum est, ut si ex pluribus Fidejussoribus unus in solidum conveniatur; petere possit, ut creditor Actionem dividat, & quemlibet Fidejussorem pro rata duntaxat portione conveniat.

BENEFICIUM competentis vocatur tunc, quando aliqui non possunt cōveniri, in plus quàm commodè dare possint, idest relin-

A5

qui

qui illis debet, ne egeant. Hoc Beneficium competit duntaxat iis, qui hoc speciali Juris Privilegio gaudent *vg.* Marito in repetitione Dotis, item sociis invicem rem aliquam tractantibus, item Donatorii, qui *vg.* se donaturū promissit, vel donavit, sed rem donatam nondum tradidit, & convenitur ad tradendum ut non teneatur, nisi in quantum facere potest.

BIANCA vocatur charta, in qua nihil exaratum est, nomine tamen ac Sigillō Domini munita est.

BIRRUARJI vocantur, qui ex mandato Judicis aliquem justē capiunt.

BIGAMIA vocatur Matrimonii reiteratio.

BONA paraphernalia illa vocantur, quæ Uxor Marito ultra dotem attulit.

BONA Receptitia vocantur illa, quæ mulier sibi & suæ dispositioni reservavit.

BONA Dotalia vocantur, sive pecunia, sive res, tam mobiles, quam immobiles causâ Nuptiarum Viro datæ, ad sublevanda onera Matrimonii, ut scilicet ex earum fructibus facilius Uxor, & Familia sustentari possit.

BONA Castrensis vocantur, quæ titulō militiæ Filio obveniunt.

Bo-

BONA quasi Castrensis vocantur, quæ ex Beneficio Ecclesiastico, vel titulo alicujus Officii Publici, *vg.* Advocati Medici Confiliarii &c. filius sibi acquirit.

BONA adventitia vocantur ea, quæ Filius familias, non ex Officio publico, aut militia, nec intuitu Patris, sed vel ex propria industria, aut fortuito, vel liberali alicujus donatione, item legato Matris, vel Propinquorum ex linea Materna acquirit.

BONA Profectitia vocantur ea, quæ ex rebus Patris, vel principaliter ejus intuitu, & occasione Filii familias consequitur.

BONA fides vocatur vera & sincera rei alienæ ignorantia, quando scilicet quis prudenter existimat rem, quā possidet esse suā.

BREVE Apostolicum, vocantur Literæ Pontificiæ in membranis subtilibus, & candidis caractere latino, ac nitido descriptæ, & à tergo Cerâ rubea chordulis lineis inclusis illitæ, annuloq; Piscatoris signatæ, ac manu Secretarii subscriptæ.

BULLÆ dicuntur Literæ Apostolicæ quæ expediuntur per Cancellariam, sub plumbeo sigillo pendente ex chordulis cōscriptæ membranâ magis nigrâ & rudî.

C.

C.

CADERE in *Commisum* dicuntur illa, quæ Fisco committuntur, vel ad suum Dominū revertuntur.

CANON est constitutio edita in Concilio.

CAMBIUM vocatur negotiatio, seu contractus innominatus, in quo pecunia pro pecunia permutatur, cum moderato lucro, vel quando pecunia præfens, quæ scilicet est in hoc loco, permutatur cum absente.

CAPITIS diminutio vocatur in jure; prioris status mutatio, scilicet quando quis amittit libertatem, vel Civitatem, vel Familiā, vel omnia simul.

CASUS fortuiti dicuntur, qui nulla humana providentiā possunt prævideri. *Casus* vero *inopinati*, seu *improvisi*, sunt illi, in quibus culpa præcedit, & per eam differunt à casibus fortuitis, vel per hoc, quod delictū ex Casibus improvisis pœnam meretur, non item ex fortuitis.

CAVERE derato dicitur Procurator, cum cautionem dat, seu præstat, quòd Principalis pro rato habiturus sit, quid quid in iudicio actum fuerit.

Cau-

CAUSÆ Miserialium Personarum, intel liguntur illæ quæ movètur, vg. à Viduis Pupillis Orphanis, Senibus decrepitis, debilibus, pauperibus, de novo ad Fidem cōversis, & cæteris, ad quorum commiserationē naturā movemur.

CAUSÆ Mixti Fori dicuntur, quæ in utroq; Foro tam Spirituali, sicuti Sæculari, obiquandam qualitatem, quæ utriusq; Forū spectat tractari possunt, vg. Testamenta Laicorum, quibus inserta sunt pia legata, Ursura, Blasphemia &c.

CAUSA Possessionis, seu *Judicium Possessorium*, in quo Actor petit per Judicem declarari, quòd Possessio, seu insistentia, & detentio rei ad se pertineat, quisquis interim Dominus sit.

CAUSA Proprietatis, seu *Petitorium est*, in quo Actor petit per Judicem pronuntiarī ipsum esse Dominum rei, & proprietatē sibi competere.

CAUSA quis cadere dicitur, quando non probat id, quod se probaturum recepit, ita *Herburt. in Stat. Reg. Pol. pag. 67.*

CEDERE diem, significat deberi pecuniā licet nondum exigī possit.

CEN-

CENSUS in communi acceptione significat certam quantitatem pecunie, annuatim solvi solitam, alias tunc, quando quis super Bonis suis immobilibus, retento penes se Dominio directo, & utili jus pensionis annue, alteri inscribit, & consignat. Ad solutionem verò cuiuslibet census tenetur ille, qui fundum super quo census impositus est, possidet, sive hæres, sive successor, sive alio titulo, v.g. Emptionis, Conductionis, seu Arendæ possideat. Hinc ille, qui se obligat ad solvendam annuatim pensionem dicitur *Consuarius*, Qui verò pretium dedit, sicq. jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius erit, vocatur *consualista*.

Census hic dividitur in perpetuū, & temporalem. *Perpetuus est*, qui nullum determinatum tempus habet, sed vi conventionis perpetuò durat; Ethic juxta modernum usum, vel est *Reemptionalis*, seu *Redimibilis*, & quidem v. ex parte solius venditoris, ita ut ei liceat restituito pretio ab obligatione solvendi se liberare, vel ex parte solius Emptoris, ita; ut resignato censu possit pretium suum repetere, vel deniq. ex parte utriusq. ita, ut tã Vēditor pretio restituito à censu

se

se liberare, quam Emptor resignato censu pretium pro eo repetere, pro libitu valeat. Alius verò *Irreemptionalis*, seu *Irredimibilis*, qui semel super Bonis, seu re aliqua constitutus, amplius redimi nequit, sed cum re ipsa transit ad Successores Bonorū Eorumq. Hæredes. *Temporalis* verò census dicitur, qui ad certum tempus extenditur, vel juxta conventionem, vel deniq. juxta aliquod præscriptum à jure tempus.

CHIROGRAPHIA dicuntur, quibus creditum nos accepisse testamur.

CITATIO est rei in Judicium Juridica vocatio.

CITATIO dilatoria dicitur, quæ nullam comparandi necessitatem infert, sed citato non comparente repetitur, & denuò intimatur.

CITATIO Peremptoria vocatur, quæ necessitatem comparandi involvit, & semper in illa aliqua comminatio interponitur.

CLEMENTINÆ sunt quarta pars Corporis juris Canonici, à suo Authore **CLEMENTE PAPA** sic dictæ.

CLERICUS Venator dicitur, qui prohibita de jure venatione utitur.

CLE-

CLERICUS per saltum promotus dicitur, qui omisso ordine medio ad Superiorem ascendit, v.g. omisso Diaconatu promovetur ad Presbyteratum.

CLERICUS Ordines furtivè suscipere dicitur, qui absq. consensu Episcopi, in numerum Ordinandorum se ingerit, veluti si Examen subterfugiat, vel præter minores Ordines, eadem die, duos Sacros, vel saltim unum suscipiat.

CLERICUS Ægrotans dicitur, qui senectute, vel morbo adeò debilitatus sit, ut suo Officio fungi non valeat.

CLERICI conjugati dicuntur illi, qui cum sint in Minoribus constituti nubunt, ac tandem perduat Privilegia Clericalia, & Beneficialia prius possessa post contractum Matrimonium.

COADIUTORIA cum futura successione, seu perpetua: vocatur per quam Coadjutori jus tribuitur, mortuo coadjuto in Eius Officium succedendi.

CODEX, est tertia pars in Corpore Juris Civilis, qui dicitur *Justinianeus*, & continet statuta Sanctiones, & diversa præcepta Imperatorum.

CODICILLUS intelligitur ultima voluntas minus solemnis, de eo; quod quis post mortem suam fieri velit. -- *Codicilli* verò plerumq. fiunt in subsidium testamenti.

COLUMBATIO olim sic dicta, fuerat libera & spontanea Rectoribus suarum Ecclesiarum à Parochianis oblatio, ita *Herbert. ubi sup: pag: 84.*

COMMODATUM dicitur concessio alicujus rei gratuita in certum usum, ut eadem species, & non alia ejusdem generis, reddatur.

COMPULSORIÆ, seu *compulsoriales* dicitur literæ, seu mandatum Judicis ad Quem, quo compellitur Judex, à Quo, seu Officiū Eius, ad extradenda omnia acta primæ Instantiæ.

COMPLEX facti dicitur, qui ad tale factū quoquo modo suam operam præstitit, vel ei patrocinabatur.

CONCLUDERE in Causa, nihil aliud est, quam ulterioribus probationibus renuntiare, ac litem controversam submittere decisioni Judicis.

CONDICTIO in communi est nomen, quo omnes Personales actiones cōprehenduntur.

CONDICTIO *indebiti* vocatur tunc, quando quis per errorem pecuniam indebitam solvit alicui, credens se ei debere, cum non debeat.

CONDICTIO *ex Lege*, dicitur tunc quoties ex nova Lege descendit obligatio, nec in eadem Lege cautum est, quo genere actionum experiendum sit.

CONDUGERE, seu *Conductor* dicitur, qui accipit usum rei pro certa mercede, v.g. *Cōductor* Domūs pro certa pecunia.

CONFISCATIO *proprie* dicitur, quando Dominium rerum de uno, ad alium transit, alia est quæ fit ob delictum, alia quæ à Legge, vel flatu.

CONFORMES *sententiæ* dicuntur, cum in uno quoque subelicio, super uno eodemque negotio cognitæ, rem vel in toto absolvūt, vel in toto condemnant, quæ si præcipue tres conformes habeantur, tunc præsumuntur iustæ latæ, & sic transire in rem iudicatam, ut ab illis appellari non possit. *Difformes* verò dicuntur, vel quando una absolvit à toto, ad quod alia condemnat, vel quando una condemnat ad unam rem, & alia ad alteram, vel denique si utraq; condemnet qui-

quidem ad unam & eandem rem, sed tamen una condemnat simpliciter, & altera infra certum tempus.

CONGRUA *Portio* dicitur tanta; ut ad honestam sustentationem Personæ, (spectata circumstantia illius, Ecclesiæ redditibus, ac loci consuetudine) simulq; ad hospitalitatē erga Pauperes, aliāq; jura solvenda, sufficiat.

CONSANGVINITAS vocatur, conjunctio Personarum ab eodem stipite propinquo, per carnalem propagationem descendenti-um.

CONSANGVINEI de jure in *triplici* Ordine reponuntur. Alii dicuntur *Ascendentes* à quibus nos vitam & Originem mediatē, vel immediatē traximus. Tales verò sunt, v.g. Pater & Mater, Avus & Avia, Proavus, &c. Alii *Descendentes*, qui à nobis vitā traxerunt, & à nobis per gradus descendunt, ut Filius *Filia*, Nepos, Pronepos &c. Alii *Collaterales*, qui neq; à nobis vitam duxerunt, neq; nos ab ipsis, sed nobis vinculo Consangvinitatis sunt conjuncti, v.g. Frater germanus, & Soror, Patruus, Avunculus, Fratres Patruales, Consobrini &c.

CONSTITUTUM vocatur conventio, qua quis

quis citra stipulationem soluturum se, quod vel ipse, vel alius debet, promittit.

CONTRACTUS nominatus vocatur, qui speciale de jure nomen habet, ut sunt *vg.* mutuum, commodatum, depositum, pignus &c.

CONTRACTUS innominatus est, qui non habet nomen proprium, quales sunt. *— Do ut des, facio ut des, facio ut facias &c.*

CONTRACTUS bonæ Fidei, dicitur *imo* quatenus significat, quid quid à *dolo fraudis, & calliditate alienum est*, sicuti Emptor bonæ fidei dicitur, qui ignorans; rem alienam emit, *— 2do* quatenus, significat æquū & justum, ut nempe Judex stante tali contractu, etiam de eo judicet, quod inter partes conventum non est, modo tamen æquū sit & justum. *vg.* Si equus ornatus frenō, loris &c. vel ager plenus fructibus vendetur, posset Judex adjudicare Emptori equū, cum ornamentis, Agrum cum fructibus licet de his nulla fuisset mentio facta à contrahentibus.

CONTRACTUS stricti juris vocantur, in quibus Judex de iis tantum judicare tenetur, de quibus nominatim inter Partes conventum est.

CON-

CONTUMACIA in jure vocatur, inobedientia erga Superiorem, unde contumax ille dicitur, qui tribus Edictis, vel uno peremptorio, citatus comparere recusat, vel si cōparet, judicio parere non vult.

CONVENIRE aliquem, est contra quem in judicio agere.

CREDITUM significat, generaliter omne id, quod bona fide alteri debetur.

CRIMEN falsi, est dolosa veritatis immutatio cum jactura alterius, quæ scilicet dicto, vel factō, vel scriptō, vel usu, committi solet.

CRIMEN ambitus, vocatur suffragiorum ad honores, vel magistratum consequendū datā pecuniā corruptio.

CRIMEN læsæ Majestatis, est quod committunt ii, qui aliquid hostile moliuntur, adversus Principem, aut Rempubicam, vel arrogant sibi ea, quæ sunt Majestatis.

CURATELA est, quæ datur à Magistratibus tum minoribus, propter defectum ætatis, tum majorennibus *vg.* perpetuò valetudinarius, surdis, mutis, furiosis non tamen simpliciter cæcis; ad tuenda bona eorum.

B3

D.

D.

DAMNUM infectum vocatur in jure tunc, cum nondum sit factum, sed timetur futurum, vg. ex ruinosis Vicini ædibus, aut tecto, &c. quo casu monendus est ille Vicinus de damno tali resarciendo.

DAMNUM injuriã datum dicitur, quod non jure datur. Unde Bruta damnum inferre non dicuntur, sed pauperiem facere, quia carent ratione, atq; adeo nec jure vel non jure quidquam agere censentur. Sic *Furius & Infans*, non dicuntur damnum injuriã dare, licet, vg. alteri incedant ædes suas, quoniam usu rationis carent, & reputatur tale incendium inter Casus fortuitos. *Damnus* differt in jure à *Furto & Rapina*, quia *Damnus* fit vel corruptione rei, vel ejusdem deterioratione. *Furtum* verò & *rapina*, a motiue rei. Deinde *damnum* non censetur fieri lucri causã, secus *furtum & rapina*.

DATARIA Romana, dicitur Cancellaria Apostolica, in qua petenda est Dispensatio, si impedimentum sit publicum, si vero sit occultum petenda est in *Penitentia Romana*

DE-

DECRETALES, id est Epistolæ variorum Summorum Pontificum, vim legis Universalis habentes suatq; *secunda pars in corpore Juris Canonici*.

DECISIONES Rotæ Romanæ, sunt sententia Judiciales, quæ faciunt jus inter partes litigantes.

DEPERRE Juramentum, ille dicitur, qui primò alteri Parti offert ut juret, si confidat de veritate, seu Justitiæ Causæ suæ. Jam verò *Referre Juramentum* è contra dicitur Pars illa, quæ post delatum sibi juramentum jurare non vult, sed juramentum ejusmodi offert vicissim Adversario suo, qui prius Ei detulerat.

DEFINITIVA sententia, est quæ Principalem causam, seu controversiam definit, ac determinat absolvendo, vel condemnando.

DEMOCRATIA est, quando tota Majestas & potestas residet apud populum, prout olim fuerat apud Romanos.

DEPORTATIO vocatur, quando quis privatus jure civitatis mittitur in exilium.

DEPOSITUM vocatur res illa, quæ custodiæ tantum causã alicui data est.

DEROGATIO legis, vocatur imminutio le-

B4

gis,

gis, fitq; cum vel Legislator unum illius articulum mutat, vel à generali lege certos casus speciales excipit, vel alicui contra eam privilegium aliquod concedit.

DERELICTUM vocatur, cum quis rem tantamquam pro derelicta habitam possidet.

DIGESTA græcè *Pandectæ* à *contines* dicuntur, eò quod omnem juris doctrinam, ex bis mille libris veterum jurisprudentum collectam contineant, suntquè *secunda pars in corpore Juris Civilis*.

DILATIO est justum temporis interval- lum, quod ad aliquem actum Judiciale commodius expediendum; Partibus concedi solet. Aliter *Dilationes* vocantur *Inductiæ*.

DIMISSORIÆ vocantur illæ literæ, in quibus continetur scripta licentiæ, & consensus proprii Episcopi, ut ejus subditus possit ab alio Episcopo ordinari.

DOGMA dicitur constitutio de re ad fidem pertinente.

DOMICILIUM accipitur in jure pro loco habitationis, aliud naturale, seu *Originis* dicitur, in quo scilicet quis natus est, aliud *accidentale*, in quo quis habitat animo ibi commorandi.

Do-

DOMINIUM utile vocatur, quod penes eum est, qui habet usum, & omnem utilitatem ex proprietate provenienti. *Directum* verò vocatur, quod penes eum est, qui tantum habet nudam proprietatem.

DONATIO dicitur illa, quæ est rei licite nullo jure cogente, sed ex mera humanitate, ac liberalitate facta collatio.

DONATIO propter nuptias vocatur illud munus, quod Maritus, aut alius ejus nomine promittit, aut constituit Uxori in compensationem, & securitatem dotis, vel etiam in remunerationem delibatae Virginitatis.

DORMIRE dicitur *Præscriptio*, quando legitime inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, & quiescit, ita tamen ut amoto impedimento denuò procedat. Impedimenta verò hujusmodi recensentur hæc: *vg.* Minorennitas ejus tempore dormire dicitur *Præscriptio*, item grassans contagio, hostilitas &c. *Interrumpi* verò dicitur *Præscriptio*, vel naturaliter, vel civiliter. *Naturaliter*, si aliqua ex Conditionibus requisitis deficiat, *vg.* si mala fides superveniat, vel possessio amittatur, quo in casu de novo debet inchoari *Præscriptio*.

B5

C1

Civiliter vero interrumpi dicitur *Præscriptio*, quando jus possidendi per Actum aliquem Juridicum in dubium vocatur, quod fit *vg.* per Citationem, litis contestationem, maximè per Sententiam.

Dos vocatur certa quantitas pecuniæ, vel alia res pretiò æstimabilis, mobilis, vel immobilis, quæ ab Uxore datur marito ad onera Matrimonii sustinenda.

DOTALITIUM vocatur ille usus fructus, quem Maritus in eventum suæ mortis Uxori in certis Bonis constituit.

DUPLICATIO, vocatur responsio illa, quæ in jure conceditur Reo contra replicationem Actoris. Quæ si ab Actore rursus oppugnatur per aliam responsionem dicitur *Triplisatio*, quam si Reus iterum refellit per novam responsionem, aut exceptionem vocatur *Quadruplicatio*.

E.

EDICTUM est illud, quod Princeps motu proprio ad bonum & felicitatem Reipublicæ constituit. *Edictum* etiam sumitur pro citatione, qua absens adversarius in Judicium

um vocatur, & solet affigi, vel ad domum ejus, vel ad valvas Ecclesiæ, aut Curie &c.

EMPHYTEUSIS vocatur contractus, quo prædium alteri utendum fruendum conceditur pro certo Canone in recognitionem directi Domini annuatim solvendo. Hinc qui ejusmodi prædio utitur, fruitur, & solvit Canonem vocatur *Emphyteuta*. Differt *Emphyteusis* à *Pendo*, quod in hoc solù succedant Masculi, atq; in eò præstatur juramentum fidelitatis, in *Emphyteusi* verò succedunt, etiam feminae, & extranei, nisi in contractu specialiter excludantur. In hoc Contractu Filiorum nomine continentur quoq; filia. In *Emphyteusi* Ecclesiastica non succedunt illegitimi, nisi forsitan in sæcula ri, si eosdem lex admittat.

EMANCIPATIO est Patriæ Potestatis relaxatio, per quam filius familias, vel filia familias sui juris efficitur. Hodie *Emancipatio* intervenire censetur, si filius separatim habitare, res suas sibi gerere, & proprium focum ac mensam habere incipiat.

EPICHEIA vocatur interpretatio mentis Legislatoris, tunc scilicet quando constat de universali verborum sensu, dubitatur autem

de mente Legislatoris, utrum v.g. hunc, vel illum casum ob certis circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis?

EVICTIO dicitur, rei propriæ quam alius iustò titulò acquisitam habet per sententiam Judicis recuperatio. Quæ primùm verò Emptori lis movetur ad rem evincendā, tenetur venditor eum defendere, litemq; in se assumere, & propriis impensis prosequi, etiamsi ad hoc specialiter se non obligaverit, dummodo emptor debito tempore ei intimaverit litem hæc de re esse motam.

EVICTIO de Jure Regni intelligitur, tunc scilicet quando ex munimentis in termino à Reo productis, sive in causis hæreditariis, sive in aliis quibusvis apparuerit eum habere Evictorem, Qui pro Reo respondere tenetur in Judicio, alias in Reum actio esset dirigenda, ita *Casimir: Magn: Vislicia Anno 1368. fol. 13. ut refert Herbut, v. Evictio.*

EVOCATIO ad Forum incompetens intelligitur tunc, cum quis aliquem evocat ad Judicium pro causa, quæ quidem ad illud Judicium non pertinet. Pro ejusmodi verò

evocatione, tam in Foro Ecclesiastico, sicut in Foro Sæculari, præscriptæ sunt de jure pænæ.

EXCEPTIO latè in jure sumpta, est quævis defensio in Judicio, v.g. exceptio incompetentiæ Fori, præventionis Causæ, Judicis inhabilitatis &c.

EXEMPTIO vocatur liberatio à Jurisdictione Ordinarii.

EXERCITOR vocatur ille ad quem quæstio & redditus navis spectant, sive si Dominus sit, sive à Domino Navim ad tempus, aut etiã in perpetuum periculò in se susceptò conduxerit. Hinc vocatur quoquè *Exercitoria actio*, videlicet ab *Exercitore* sic dicta.

EXHEREDITATIO vocatur actus ultimæ voluntatis, quo illi quibus debetur legitima, à successione repelluntur.

EXPILATORES: dicuntur illi, qui Villas, Aedes, horrea aliena perfringunt, penitusq; spoliant, & tales ad fures atrociores reducuntur.

EXPILATE hæreditatis crimen committere dicitur, cum quis hæreditatem, antequam hæres eam adiverit, & ejus possessionem receperit, expilat.

EXTRAVAGANTES *J.annis Papæ XXII.*
 idest Constitutiones ac Epistolæ Decretales
 sic dictæ ideo, quia ante hac extra Corpus
 Juris Canonici, quasi sede incerta vagaren-
 tur, modo verò quintam partem Corporis
 Juris Canonici constituunt.

EXTRAVAGANTES *communes*, pariter Cō-
 stitutiones sunt, utraq̃ verò auctoritatem
 legis habentes, ex eo sic dictæ, quia multis
 Pontificibus communes, seu à pluribus edi-
 tæ sunt, constituunt deniquè sextam partē
 in Corpore Juris Canonici.

F.

FALCIDIA, seu *Lex Falcidiæ*, non à fal-
 cando, sed à Falcidio Tribuno Plebis dicta,
 quā olim cautum fuit ne plus legare licuis-
 set ultra dodrantem, idest ultra tres par-
 tes totorum Bonorum, relicto quadrante,
 seu quarta parte apud Hæredem, sive ille
 unus, sive plures fuissent, & si plus legatum
 fuit, quarta pars legatis defalcabatur. Hinc
Falcidia dicitur quadrans, idest quarta Pars
 Bonorum, quam hæres vel ex testamento,
 vel etiam ab intestato ex defuncti Bonis de-

tra-

trahit. Unde etiam Falcidia aliquando pro
 legitima sumitur, vg. *Filio à Patre, relicta.*
 Itaq̃, inhærendo huic legi quoties ad divisi-
 onem aliquorum Bonorum ventum erat, ut
 constaret quantum hæredi nomine *Falcidiæ*
 & quantum legatariis nomine legatorū de-
 debebatur, ante omnia deducendum erat,
imo *Æs alienum*, idest debita. *2do* *Funeris*
 expensas. *3tio* pretia servorum, pro liberta-
 te eorum. His omnibus ita deductis quan-
 tum supererat, quarta pars hæredi relinquen-
 da, tres verò partes inter Legatarios pro ra-
 tha portionis distribuendæ erant. Hodie ad
 similitudinem hac lege utimur secundum
 consuetudinem locorum; in Bonorum, vel
 rerum aliarum exdivisione, ubi & quoties
 falcidia detrahenda est. *Excipiuntur tamē*
Legata pia, in quibus *Lex Falcidiæ* locum
 non habet, eò; quòd ea, quæ ad Dei cultum
 relinquuntur non deceat imminui, *arg: No-
 vel: 131. Cap: 12.* tum in aliis casibus ratione
 privilegii à jure concessi, vg. in Milite tes-
 tante, in dote legata Uxori à Marito &c.

FAMA proprie loquendo non dicitur, ni-
 si bona sit, cum sit argumentum virtutis. E-
 contra verò *fama*, in malam partem habe-
 tur,

tur, pro infamia, idest privatione famæ.

FAMILIA ab antiquis pro hereditate accipiebatur.

FAMILIA heriscunda, idest hereditas dividenda.

FAMOSÆ actiones dicuntur, quæ justam ignominiam irrogant, & famosi homines dicuntur infamiâ notati.

FATALIA appellationum dicuntur tempora illa, intra quæ debet inchoari, & terminari causa appellationis, alias quippe appellatio vocatur deserta. Ejusmodi verò tempora dicuntur decem dies à die lata sententiæ, vel illati gravaminis, numerandi.

FELONIA est terminus Feudalis, & significat Delictum Vasalli, quod illum graviter, & ita infamat ut neq; coram Domino honeste stare, nec amplius eum Feudi capacem reddere possit, quale est v.g. crimen læsæ Majestatis, Parricidii &c.

FERIÆ dicuntur dies illi, quibus vacatur, seu cessatur ab actibus Judicialibus. Hinc etiam dicuntur *dies feriati*.

FERIÆ sacræ dicuntur ex, quæ ob reverentiam & Cultum Dei, principaliter sunt institutæ, uti sunt Festa Solemnia Calenda-

rii.

FE-

FERIÆ Rusticæ vocantur illæ, quæ ob necessitates hominum præsertim ruri laborantium institutæ sunt, uti sunt Feriæ Messium atque Vindemiarum.

FERIÆ Repentinæ dicuntur, quæ non ex aliqua lege certa, & stabili constituuntur, sed extra consuetum ordinem repente ac subito indicuntur, v.g. ob insignem victoriam, ob Principis adventum, ob hostilitatem &c.

FERTO nec plus, nec minus à principio valebat, quàm grossos 12, pro tempore currentes. Hinc:

FERTO Grossorum Pragensium tot valet semper, quot duodecem grossi Pragenses communes, aut lati sui sæculi. *Grossus* vero latus Pragensis valet quatuordecim grossos monetæ currentis Polonicae, *juxta taxam in Decret: Definit: Et Sentent: Arbitr: Anni 1676. die 23. Jun: lato, ut adnotat: Zalassow: fol: 670.*

FERTO Grossorum communium Polonicarum Anni 1368. valet Florenos 15. grossos 20. solid: 2. Denar: 3.

FERTO Grossorum communium Polonicarum Anni 1451. valet Florenos 13. grossos 15.

C

FER-

FERTO latorum Grossorum Polonicaliū sæculi inter Annum 1368. & 1451. omnino non major, quàm Floreni 23. grossi 16. Denarii 4. cum medio, nec vilior quàm Floreni 20. grossi 7. sol: 1. Den: 3. Hinc *Denar:* ab Anno 1620. valet solid: 1. qui anteriorioribùs Annis plus semper valebat. *Fertonem* Polonicum Latorum Grossorum Aureorum, qui servavit An: 1250. habet nunc florenos Polonicos 972. Item *Fertonem* Polonicum latorum Grossorum Argenteorū Anni 1250. qui amisit, sustinet damnū ad florenos Polonic: 81. Item *Fertonem* Polonicum Grossorum Communiū Monetæ in Regno currentis circa Annum 1250 qui concessit, nunc ei debentur Floreni Polonic: 54, quia tunc dedit modernos tres Aureos. Tādem juxta Statuta & Cōstitut: Regni. = *Ferto*, circa Annum 1470. valebat floren: 9. & grossi: 18. *Ferto* deniq; iesel to czwarta część Grzywny, vide Grossi sub lit: G. vide Marca sub lit: M. vide Valor Monetæ sub lit: V.

FEUDUM dicitur benevola rei immobilis concessio cum translatione Dominiū utilitatis, sub onere fidelitatis, & servitii honesti. Is qui *feudum* dat; dicitur *Dominus*, Is verò qui accipit dicitur *Vasallus*. Fi-

FICTIO *Juris* tunc intelligitur, quando fingitur id, quod re vera non est, potest tamen esse in ordine ad aliquem *Juris* effectū ex justa causa inducendum, seu quando lex aliquid adversus veritatem in re possibili, ac ex justa causa disponit. Sic v.g. Canonicus absens ob infirmitatem, vel evidentem utilitatem Ecclesiæ, *fictione juris* habetur præsentis, talis *juris* actione, v.g. Monachus Mundo, seu civiliter mortuus dicitur.

FIDEICOMMISSUM vocatur, donatio quædam à defuncto relicta; ab hærede præstanda.

FIDEIUSSOR est, qui alienam obligationem in se suscipit & promittit, quod Debitore principali non solvente ipse velit solvere.

FILII Presbyterorum appellantur in jure illi, qui ante Clericatum ex Uxore legitima nati sunt.

FILII Naturales & legitimi simul, vocantur illi, qui ex legitimo Matrimonio procreati sunt.

FILII Naturales tantum vocantur, qui extra legitimum Matrimonium nati sunt.

FILII legitimi tantum vocantur, idest adoptivi, vel arrogati. C2 Fi-

FILII Spuriij, vulgo quæſiti intelliguntur omnes, qui ex vago concubitu nati ſunt, quales ſunt **Filii Meretricum**.

FILII incestuoſi vocantur, ideſt ex damno concubitu alias ex Conſanguineis collateralibus & affinibus in gradu prohibito ſuſcepti. Item dicuntur **Nefarii**, qui naſcuntur ex aſcendentibus, vel deſcendentibus. Item **Adulteri** hoc eſt nati ex adulterio.

FILII Spirituales verò dicuntur, qui ex Baptiſmi ſacro fonte, vel in Confirmatione levantur, & habent Spirituales Parentes.

FILIUS poſthumus dicitur in jure ille, qui poſt mortem Patris naſcitur, ſivè filius, ſivè etiam Filia ſit.

FISCUS vocatur Principis, vel cujuſcunque Magiſtratus, ad uſus publicos ærarium.

FORUM dicitur locus exercendarum litium, hoc ſenſu etiam appellatur **Judicis Tribunal, Auditorium**, & præſertim ſi **Judicis Eccleſiaſtici** ſit, dicitur **Conſiſtorium**.

FORUM Competens dicitur in quo Quis de jure agere, & reſpondere tenetur. Competit verò alicui **Forum**, imò ratione **Judicis**, quia **Is Ordinarius** eſt illius, 2do ex **perſona Rei**, cujus **Forum Actor ſequi** debet,

3tio ex **qualitate Cauſæ**, vg. ſi ſit **Eccleſiaſtica**, vel **Civilis**, ſeu **Sæcularis**.

FORUM Domicilii dicitur illius; ubi quis vel natus eſt, vel habitat animo commorandi. In tali **Foro** ratione **domicilii** quilibet conveniri poteſt, licet alibi contraxerit, aut deliquerit.

FORUM rei ſitæ intelligitur locus, in quo res controverſa exiſtit. **Judex** autem illius loci dicitur **Judex rei ſitæ**, apud **Quem** conveniri poteſt debitor, vel poſſeſſor illius rei.

FORUM Contractus dicitur ille locus, in quo initus eſt, **Contractus** enim facit **Forum** competens, verum extra caſus in jure expreſſos.

FORUM Delicti vocatur ille locus, in quo aliquis deliquit. Hinc **Judex** delinquentem punire poteſt, eſi alienæ ſit **Jurisdictionis**, niſi lex ſpecialiter aliud diſponat, vg. quod ſi **Judex Domicilii** delinquentem remitti poſſulet, vel ſi delictum in uno loco ſit inchoatum, in altero conſumatum, vel ſi **qualitas delicti** hujusmodi diverſum **Forum** reſpiciat &c. & hoc tantum procedit in **Foro** externo, non in **Foro** interno, non enim quis ſubjici debet **Foro Pænitentiali** ex cau-

sa delicti in loco, ubi deliquit ut ibidem confiteri, vel absolvi debeat. Sic vg. Studiosi alibi delinquentes remitti debent ad Magistratum Academicum, ex speciali dispositione Juris Civilis. *Authent. Habita. C. Ne Filius pro Patre*, vel Clericus delinquens in Monasterio ab Abbate puniri non potest, licet benè capi, & Ordinario remitti possit, ut patet *ex c. Ut famæ 35. De sent. Excom.*

FRUCTUS Naturales vocantur, qui absquè notabili cura, & cultura hominum producantur, seu ferè ipsius beneficiò naturæ, quales sunt, vg. Poma, pyra, frum, nuces &c.

FRUCTUS industriales vocantur, qui non sua sponte proveniunt, sed notabilè hominum adjectâ operâ, vg. frumentum, vinum, oleum &c.

FRUCTUS pendentes vocantur, qui licet quidem nati sunt, à solo tamen non sunt separati.

FRUCTUS percepti dicuntur, qui à solo sunt separati, vg. Segetes abscissæ, uvæ ademptæ &c.

G.

GABELLA idem est ac vectigal, ac pedagium. Alii vero dicunt *Gabellam* esse illud *Tributi* genus, quod datur Principi ob venditas res, sive mobiles, sive immobiles.

GENUS Jurisperiti vocant id, quod Philosophi dicunt esse speciem, & quod Philosophi individuum, hoc Juristæ speciem nuncupant, vg. Si quis conveniatur ut rem in eodem genere restituat necesse est, ut vg. Vinum pro Vino, æs pro ære restituat. Si itè conveniatur, ut rem diversi generis restituat, tunc vg. ad equum pro Vino, frumentum pro pecunia restituendum tenetur.

GERADA significat omnia ornamenta muliebria, quæ propriè dicuntur esse de jure in Patrimonio Uxoris.

GLOSSA est uberior explanatio Canonum, & textuum cujuscunq; juris.

GRADUS Consanguinitatis, est distantia Personarum, qua cognoscitur quo intervallo consanguinei sibi invicem conjunguntur.

GRADUS Affinitatis, est distantia illa, qua pariter cognoscitur aliquis, eo gradu esse

affinis alteri conjugii, quo gradu est alteri consanguineus, vg. Soror Uxor, est uxori in primo gradu consanguinea, consequenter & marito ipsius in primo gradu affinis.

GRASSATOR Viarū publicus est ille, qui grassatur in viis publicis, & itineribus frequentatis.

GRATIA quò ad res morales sumitur, pro concessione alicujus beneficii, seu indulti, aut Privilegii.

GRAVAMEN dicitur quoties per sententiam Judicis sese quis gravatum senserit.

GROSSUS ab antiquo & *latus*, & *cõmunis* dictus. *Grossus* latus à *Grosso* cõmuni docet *Constit. An. 1601. pòttora razy większy jest.*

GROSSI *Pragenses* Venceslai II. qui circa Annū 900. item *Grossi* Joannis primi Regis Bohemix, qui circa Annum 1345. regnabat, ex his unus talis *grossus* valet ad præsens florenum 1. & grossi: 2. Jam verò alii *Grossi* Pragenses dicti, pronunc valet florenum tantum, alii grossi: 28. juxta valorem suum intrinsecum.

GROSSUS *latus* Pragensis, juxta taxā per Sentent: arbitr: in Anno 1676. valet quatuor de.

decem Grossos monetæ currentis Polonicae. Hinc: *Grossi* octodecim valeant florenos 8. & gr: 12. Polonicae. Item *Grossi* lati triginta, valeant florenos Polonicae quatuordecem. *Grossi* duodecim lati, valeant florenos 5. & gr: 18. Polonicae. Deniq; *Grossi* sex lati valeant florenos duos & grossos 24, itaq; & *Zalassov: fol: 670.*

GROSSUS latus Polonicus Anni 1250 valet flor: 81.

GROSSUS latus Polonicus argenteus Anni 1250. valet florenos 6. grossi: 22. solidi: 1. & Denar: 3.

GROSSUS *communis* Argenteus Polonicus currens per Annum Dni 1250. valet nunc florenos 4. grossi: 15.

GROSSUS *latus* Polonicus Anni 1368. valet florenum 1. grossi: 27. solidos 2. Denar: 3 y Cwierc, & deinceps sequentibus Annis creverat & decreverat, ut videre est apud Varios Authores, & in lib: cui tit: *Summaryszumiarkowania monety Et.* Circa reliquos verò Annos uti vg. z Roku 1611. *Grossi* polity *Polski*, przypada ná groszy 7. szelągów 2. & c. — *Grossus* latus Polonicus Anni 1611. valet grossos 11. solidum 1. Denar:

4. = *Grosz Pospolity Polski* Anni 1620. valet grossos 4. solidi: 1. Denar: 3. = *Grosz Pospolity Polski* z Roku. 1676, przypada ná pietaka. Sic habet *Statut: Regn: Polon: foli 235. Et 239 in Privil: Judæor.*

GYERRA significat temerariam cujuscūq; status & conditionis populi seditionem.

H.

HABITATIO dicitur jus habitandi in ædibus alienis.

HÆREDITAS dicitur illa, cujus nomine appellantur bona omnia morte derelicta, vocaturq; Universitas Bonorum à defuncto relictorum.

HERCISCERE olim apud antiquos Jurisconsultos, idem sonabat quod dividere.

HOMOLOGATIO vocatur approbatio aliquid actus gesti, & habet effectum convolutionis, seu confirmationis.

HOMICIDIUM *purè casuale*, in quo prorsus nulla intervenit culpa, nec dolus, nulla pœna punitur. Sicut & in sequenti casu, v.g. Titius rixatur cum Cajo, supervenit Frater Titii, & occidit Cajum, Titius hoc casu non

te.

tenetur de homicidio nisi mandaverit, vel ratum id habuerit.

HYPOTHECA significat pignus, differt tamen à *pignore*, quòd illud ut plurimū consistit in re mobili, & tradatur Creditori pro ejus assecuratione. *Hypotheca* verò res maneat apud debitorē, & ut plurimū in immobilibus consistat.

I.

JUDICIORUM in REGNO POLONIE species sunt sequentes.

1mo. JUDICIA *Comitalia*, quibus Rex præsidet, assidente Senatu, & certis Deputatis ab Equestri Ordine.

2do. JUDICIA *Post Curialia*, quibus præsidet Cancellarius Regni, vel Vice Cancellarius, in quibus Causæ per appellationem ex Civitatibus devolutæ, & Causæ Fisci ventilantur. Huc pertinent Judicia *Referendariorum*.

3tio. JUDICIA *Relationum ultimæ Instantiæ*, quibus Rex præsidet.

4to. JUDICIA *Terrestria*, quæ constituit Judex, Subjudex, & Notarius, in quibus

que-

questris Ordinis Cause omnes de Bonis immobilibus &c. expediuntur.

5to. *JUDICIA Castrensia*, quibus præsidet Capitanei cum Jurisdictione, seu Eorum loca tenentes Vice-Capitanei, Surrogatores, movetur à Judiciis his ad Tribunal Regni.

6to. *JUDICIA Succameralia*, in quibus Cause granicierum dijudicantur, de finibus & limitibus earum disceptatur ac decernitur, præsidente Succamerario, aut Palatino.

7mo. *JUDICIA Tribunalis Regni*, in quibus omnes cause à Judiciis Terrestribus Castrensibus Succameralibus, Commissorialibus, per motiones, & aliæ quovis modo devolutæ deciduntur, præcisa omni appellatone.

8vo. *JUDICIA Commissorialia*, in quibus per designatos à Rege v.g. Dislimitatio Bonorum Regalium, & aliæ actiones ventilantur, & expediuntur.

9no. *JUDICIA reliqua in Regno* sūt, v.g. *Judicia Mareschali Regni*. *Judicia tempore Interregni*, vulgo *Kaptur* vocitata. *Judicia Juris Magdeburgensis*, quæ in Civitatibus, & Oppidis exerceri solent, & *Alia* juxta locorum consuetudinem.

Ju.

JUDICII Personæ necessariæ, vocantur *Judex*, *Actor*, & *Reus*. *Utiles* verò dicuntur, *Assessores*, *Causarum Auditores*, *Procuratores*, *Cancellarii*, seu *Notarii*.

JUDICEM prohibent esse hæc tria *Natura*, qualis est v.g. *mutus*, *surdus*, *furiosus*, *cæcus*, *defectus ætatis*. *Lex* v.g. ut *excommunicatus*, *proscriptus*, *Hæreticus*, *Infidelis*, *infamis*. Et *sexus* ut *Fæminæ*, nequeunt esse *judices*, nec *Magistratum* gerere, nec *procuratrices*. Item *Monachi*, & *Religiosi* *Judices* esse non possunt, nisi sint in *Dignitate* constituti.

JUDEX Delegatus vocatur, qui non habet *Jurisdictionem*, vi proprii officii: sed eam exercet ex commissione alterius, cujus vice fungitur. *Delegatus Principis*, potest alteri causam subdelegare, non autem *Delegatus* alicujus inferioris, absq̃ speciali hujus commissione, nisi sit *Delegatus ad Universitatē* *Causarum*.

JUDEX Ordinarius dicitur ille, qui potestatem *judicandi jure proprio* habet, hoc est ex vi sui *Officii*. Hinc *Ordinariorū* nomine veniunt, *Patriarchæ*, *Primates*, *Archi-Episcopi*. Item *Capitulum Sedis vacante*, ac etiam *Vicarius Generalis Episcopi*.

Ju.

JUDICIUM aliud Civile, aliud Criminale, aliud Mixtum dicitur. *Civile* illud, quod principaliter instituitur ad commodum privatum. *Criminale* verò ad commodum publicum, seu Vindictam publicam. *Mixtum* in quo partim civiliter, partim criminaliter agitur. Hinc *Causa Civilis* vocatur tunc, quando non agitur super crimine, sed super re aliqua, sive jure debito, vel si quid agatur super crimine, non tamen ad publicam vindictam, sed ad interesse privatum. *Causæ* hujusmodi Civiles non tantum, quæ sunt Sæculares, sed etiam quæ Ecclesiasticæ sunt, possunt appellari Civiles. *Causa Criminalis est*, quando agitur ad commodum publicum, seu ad publicam vindictam, pro aliquo patratò crimine. *Causa verò Mixta* dicitur, quando partim civiliter, partim criminaliter agitur in Judicio, ut de crimine aliquo v.g. de Furto, vel injuria, potest agi & ad interesse privatum Partis, & ad publicam simul vindictam.

JUDICATA, seu *Præjudicia*, dicuntur res similiter judicatæ, verum intelligi debent tunc vera esse judicata, quando Judices Ordinarii quicunq; illi fuerint, in suis Territo-

riis debent similiter judicare in iisdem Causis, in qualibus ita judicavit Princeps Supremus, aut saltem talis, qui habet potestatem Leges, ac statuta condendi. Judex verò Inferior per hoc præcisè, quod in aliqua Materia sæpius similiter judicet, contra vel præter jus commune, non potest introducere potestatem, aut obligationem deinceps in alio Tribunali ita judicandum.

JUDICIUM *Summarissimum* dicitur illud, in quo ob periculum in mora, proceditur brevissimè, quale fit v.g. in Causis Beneficialibus, super Decimis, Matrimoniiis, Usuris, & his similibus.

JURAMENTUM *Calumniæ* dicitur, quod præstatur tam ab Actore, quam à Reo super tota causa, quòd bona fide, seu credendo se habere justam causam litigandi; non autè animò calumniandi, per decursum totius litis agere, vel respondere velit.

JURISDICTIO est Potestas Publica in causis controversis cognoscendi judicandi, judicatumq; exequendi.

JURISPRUDENTIA dicitur Divinarum, atq; humanarum rerum notitia, justis atq; injustis scientia.

hil debeat. Secus est dicendum in Causis minoris momenti præsertim si Actor, qui semi plenè probavit, ac præsens negotio interfuit sit honestus, fide dignus &c. *Qualitas facti* consistit in hoc: ut magis scienti, seu veritatem rei per proprium sensum cognoscenti, vg. quod ipse solus audiverit, viderit &c. deferatur ejusmodi Juramentum, non verò ignorantia. Unde si Actor cuiquam facto præsens interfuit, ipsi potius semiplenè probanti; juramentum est deferendum, non verò Reo, qui solum negat, in tali casu præsumitur ignorare factum alienum.

Jus accrescendi dicitur tunc, quando alicui jam habenti aliquid de hæreditate, accrescit alia hæreditatis portio ex certa causa vacans, seu latens, inducit incrementum.

Jus ad rem, quod non tribuit actionem in rem, sed in Personã, & tale jus est, quod cõpetit alicui vigore, vg. Donationis, Emptionis, Præsentationis, hæreditatis, & similitum, non subsecuta adhuc traditione ejusmodi rei.

Jus Armorum dicitur ab antiquo potestas Bellum gerendi, quam habuisse primos etiam Poloniarum Duces & Reges monimenta Regni referunt.

Jus

Jus Canonicum illud dicitur, quod ex sacris Canonibus hoc est Regulis Ecclesiasticis collectum, à Summis Pontificibus constitutum, & approbatum est. Hinc aliter vocatur *Jus Pontificium*, *Jus Ecclesiasticum*.

Jus Civile dicitur, quod Magistratus, populus, vel civitas sibi constituit.

Jus Divinum vocatur illud, quod à Deo latum & promulgatum est, vel per Prophetas in veteri testamento, vel à Christo Domino Eiusque Apostolis in nova lege.

Jus Gentium dicitur illud, quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit, & apud easdem Gentes & Populos æquè custoditur.

Jus Humanum dicitur, quod Authoritate humana conditum est.

Jus in re dicitur, quod tribuit actionem realem in rem ipsam, alias secuta jam ejusdem rei traditione, nonnunquam etiam sufficit ad idem jus; sola acceptatio, ut in Beneficiis Ecclesiasticis, aut in iis, quæ piis locis aut Civitatibus donantur. Sic vg. Si aliquis obtinuerit præsentationem, ad Beneficium Ecclesiasticum, dicitur habere *jus ad rem*, secuta tandem acceptatione Eiusdem Beneficii vel aditione, dicitur habere *jus in re*.

Da

Jus

Jus Indigenatus, dicitur jus nobilitatis, quod Rex confert cum consensu omnium Ordinum in Comitibus congregatorum.

Jus municipale, seu jus privatum dicitur, quod fertur pro aliqua Provincia, vel pro certa Civitate, quale est v.g. Jus Austriacum, Saxonicum &c.

Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit, & hoc vel est *commune* non tantum hominibus, sed etiam Brutis, ut v.g. maris & Fœminæ conjunctio, Liberorū pro creatio & educatio, defensio, seu injuriæ propulsio, & plures aliæ naturales inclinationes, vel in naturali ratione fundatum, solum Hominibus competit, ut v.g. Religio erga DEUM, obedientia Parentibus &c.

Jus Patronatus, est Potestas præsentandi Clericum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans.

Jus Postliminii vocatur pristini status, in quo quis ante Captivitatem fuit, recuperatio, integra perinde, ac si nunquam in hostium potestate fuisset.

Jus Potioritatis, seu *Potioritas* dicitur tunc, quando quis ad bona aliqua habet jus potius & inscriptionem, etiam si aliquis ha-

beret per lucra & Possessionem, sed ex posteriori inscriptione. De qua re *Zalassov: in jure Reg: Pol: & in Constit: Reg: Anni 1588. fol: 467. An: 1670, Et Stat: Mag: Duc: Lith: Cap: 7. Art: 11.* Et si plures Creditores sint expressam hypothecam ejusdem temporis habentes; pari passu ambulare tenentur: Si autem non constaret, cujus inscriptio prior, aut jus sit, in tali casu melior est conditio possidentis. *Ita Stat: Reg: Jag: An: Domini 1423. apud Herburt.* Ubi verò quis priorem hypothecam expressam præsertim speciale haberet; pariter *potioritatis* jure gaudet. *Ita Zalassov: ubi supr: p. 2. tit: 7. de Pignore & Hypotheca.*

Jus Retractus vocatur illud, quo proximus consanguineus præfertur extraneo Emptori in re immobili à suo Consanguineo vendita, ita; ut oblato simili pretio eam retrahere, & ipsamet emere possit. Hoc tamē jus retractus præscribitur tribus Annis, & tribus Mensibus, hoc est: si aliquis emptus hæreditate, eam tribus Annis, & tribus Mensibus pacificè possedit, & postea Consanguineus, vel affinis Venditoris, velit proximitate juris emptorem repellere. Id ipsum in

telligitur, si aliquis debitor diceret hæc hæreditas est mihi propinquior, quam tu tenes, quia Venditor ipsius fuit mihi prius debitus, antequam ipsam comparasti, ita *Herbert. v. Præscriptio.*

Jus Sæculare dicitur, quod Authoritate Sæculari vg. Ab Imperatore, Rege, & aliis potestatem Leges condendi habentibus constitutum est.

IGNORANTIA Juris dicitur, quâ ignovimus jura, seu Leges, vel Canones, aut statuta Municipalia, mandata vel decreta.

IGNORANTIA facti dicitur, quando quis ignorat aliquid esse factum vel omissum, vg. ignorat quis rem esse venditam, vel utrum hæc Provincia ad hunc, vel illum pertineat vel an pugna sit comissa &c.

IMPEDIMENTA justa, seu Legalia non comparandi, dicuntur de jure vg. Captivitas, infirmitas, expeditio contra hostem, sollemnitas nuptiarum, Funeris ex Familia deductio, periculum vg. inimicitia capitales, incurso, latrocinia in viis, iauandatio, pestilentia, & his similia.

IMPENSÆ alia vocantur necessariae, quibus omissis res vel periisset, vel deterior facta

ta fuisset. *Alia utiles*, quæ factæ rem meliorem quidem faciunt, omisæ tamen rem deteriore non fecissent. *Alia deniq; voluptuaria*, quas impendendi nulla fuit necessitas, seu quæ factæ rem tantum ornant fructum tamen non augent.

IMPERIUM merum, seu jus Gladii dicitur. Potestas judicandi causas criminales, vel ad animadvertendum in facinorosa.

IMPERIUM mixtum, dicitur Potestas judicandi tantum Causas civiles, vel criminales quidem, sed solum civiliter, id est ad restitutionem, vel satisfactionem intentatas.

IMPUBERES dicuntur Illæ Personæ, quæ nondum attigerunt annos de jure ad pubertatem requisitos, qui in fæminis 12. completi, in Masculis autem 14. requiruntur.

IMPUGNATIO Sententiæ dicitur, quando sententia à Judice lata per aliquam Partem infringitur, quod fit duobus modis de jure, vel ratione nullitatis, vel ratione *Annulationis*, vid: *Sententia impugnari potest.*

IN CONTINENTI agere quis intelligitur, id est nullo interposito ad agendum intervallo, seu quod in ipso eodemq; actu fit.

INDEBITUM dicitur tunc, quando tantumquam

quam debitum errore solutum, vel remissa
sunt est.

INDEBITA vexa, sumitur in jure pro mi-
nus æqua alicujus in jus provocatione, non-
nunquam verò pro temeraria litigandi cau-
sa, vide *Temere litigans* sub litera T.

INDICIUM illud vocatur plenum, seu (ut
volunt) indubitatum, quod ita arctat animū
Judicis, ut omnino credat, & plus investi-
gare non curet. Cætera verò indicia pro qua-
litate rei investiganda sunt.

INDUCIÆ idem *Dilationes*.

INFAMES infamiæ facti dicuntur, quorū
scilicet Fama & honor ob crimen commis-
sum apud probos viros læditur.

INFAMES infamiæ Juris dicuntur, qui
scilicet à jure; ipso facto infames decernun-
tur, ut sunt v.g. Histriones. Polygami damna-
ti, publico judicio, perpetuò banniti, convic-
ti de aliquo crimine.

INQUISITIO est investigatio criminis à
Judice ex officio facta.

INSCRIPTIO vocatur de jure Regni, quæ-
libet personalis coram Actis necessaria re-
cognitio, circa quam Judicio præsidentes
debent attendere, & considerare Personam

Recognoscentem aliquam Inscriptioem,
ut habeat debitam ætatem; Discretionem, &
Valetudinem, Quod si inscribens fuerit sa-
nus corpore, potest scribi *sanus mente, &
corpore*, Quod si verò æger corpore existat,
compos tamen rationis: potest scribi æger
& langvens corpore, sanus tamen mente,
& compos rationis, ita *Sigism. Petric. 1523.
fol. 44. ut refert Herburt. v. Inscriptio.*

INSTITUTIONES Juris, dicuntur prima
pars Corporis Juris Civilis, (sunt verò comp-
pendium Juris, & prima elementa) Autho-
ritate Justiniani Imperatoris firmata, ac in
lucem edita.

INSTRUCTORIA Judicii vocantur, Cau-
sæ meritum, seu Principalis Negotii discer-
ptatio.

INSTRUMENTA dicuntur scripturæ illæ,
quæ ad causam probandam à Partibus, affe-
runtur. Alia *privata*, quæ à privatis Perso-
nis, alia *publica*, quæ à publicis, quales sunt
Notarii, Cancellarii, conficiuntur. Alio no-
mine *authentica* vocantur.

INTERDICTUM juridicè spectatum vocat-
tur constitutio prohibitiva nullâ pœnâ in
transgressores adjectâ.

INTERLOCUTORIA *Sententia* est, quæ inter causæ principum & finem super aliquo incidenti, vel emergenti profertur.

INTERLOCUTORIA *vim definitivæ*, habes dicitur quæ causam quidē principalem non definit, sed unam partem substantialem negotii Principalis, & post se aliam expectat sententiam, quæ toti causæ finem imponat, & præjudicium pariat irreparabile.

INTERROGATORIA sunt quæstiones quædam ex circumstantiis negotii, & oblati ab Adversario articulis depromptæ.

INTESTATUS ille dicitur, qui vel omnino Testamentum non fecit, aut non jure, aut id quod fecit raptum, irritumq; factum est.

INTROMISSIO juxta consuetudinem Regni dicitur tunc, quando scilicet aliquis acquirit Bona aliqua hæreditaria, sive titulò perpetuò, sive obligatoriò, aut ex re judicata de necessitate juris per Terrestrem Ministerialem debet induci, & intromitti in talia Bona, ut nullum lateat, novi Domini Possessio, qui aliquod interesse habere se prætendat ad eadem. Et hæc intromissio ex recognitione Ministerialis debet inscribi, &

induci in librum Terrestrem, seu Castellensem in Districtu proprio: ubi prædicta Bona consistunt, ita *Herbert. v. Intromissio. pag. 220.*

INTRUSUS in Beneficium dicitur ille, qui vel nullum habet titulum verum, aut saltim coloratum, vel istum non habet ab Eo, cujus est conferre tale Beneficium.

INVESTITURA *Feudalis*, & propria tunc est, quando Vasallus actualiter in Possessionem rei Feudalis introducit.

L.

LAUDEMIO, vocatur certa pensio pro novæ Investituræ collatione, sive veteris renovatione solvenda.

LAUDUM idem, quod arbitrium, dicitur & vocatur sententia Arbitri, propriè dicti.

LEGATI dicuntur esse in triplici differentia, nempe *Legatus à latere* dicitur, qui ex collegio Cardinalium, quasi à latere Papæ ad aliquam Provinciam mittitur.

LEGATUS *missus*, seu *Nuntius Apostolicus* dicitur, si alius Prælatum non Cardinalis ad aliquod Regnum deputatur, qualis est

vg. in Regno Poloniæ Variavia &c. *Legatus natus* dicitur, cum Archiepiscopaturus titulus Legati ex privilegio annexus est, ut vg. in Regno Poloniæ Primate Regni Archiepiscopo Gnesnensi.

LEGATUM est donatio quædam præstantia ab Hærede ex voluntate Testatoris.

LEGATA pia, seu *ad Causas pias* dicuntur, quæ sunt relicta ob Dei, & Sanctorum honorem, aut salutem animæ spiritualem, uti quæ Ecclesiis Pauperibus, ac aliis miserabilibus Personis, pro maritandis pauperibus Virginibus, Captivorum redemptione, etiam consanguineorum sustentatione, Defunctorum suffragiis, ac satisfactione; pro peccatis relinquuntur.

LEGITIMA vocatur in jure determinata legibus propter successores portio.

LEGITIMATIO dicitur actus quo liberi naturales efficiuntur legitimi. Hæc autem Legitimatio, vel fit per *subsequens Matrimonium*, quando scilicet Matrimonium Parentes secum contrahunt, vel per *Rescriptum Principis*, quando Princeps, vel Rex suplici libello rogatus liberos naturales jubet esse legitimos.

LEX

LEX vocatur commune præceptum; in Bonum Publicum ab habente potestate ordinatum.

LIBELLUS in jure, est scriptura brevis, claram petitionem, & causam Actoris continens.

LIBELLUS repudii vocatur, quando per conversionem alterutrius conjugis ad Christianam Fidem, alter in infidelitate relictus nanciscitur libertatem à vinculo matrimonii, quò erat obstructus. Sic vg. Hæbreus Maritus ad Fidem conversus, dicitur mitte re libellum repudii ad uxorem in sua persistente infidelitate, ut hac ratione det illi libertatem transeundi ad alia vota. Hic tamen abusus sublatus est ad præsens, juxta Constat: Benedicti XIV, quæ est 38. in Bullar: Tom: 2.

LIS pendere dicitur bifariam. 1mo Ex parte Actoris, quando ad illius Instantiã emanavit Citationis decretum. 2do Ex parte Rei quando ipsi legitime intimatur citatio, idè est, si sit in Causa; cur citatio ad ipsum non pervenerit.

LITIGATOR temerarius dicitur, qui non habet probabilem litigandi causam, vide *Temere litigans*.

LI-

LITIS contestatio vocatur Principalis Negotii apud Judicem competentem facta narratio, & ad eam secuta congrua responsio, animo litigandi in Judicio. Dupliciter autem hac fieri potest. *Affirmative*, si v.g. Reus narrata, prout narrantur, fateatur esse vera. *Negative*: si Idem Reus neget explicitè id, quod Actor præterdit, seu narrata, prout narrantur non esse vera, vel petita Partis fieri non debere; dicat.

LOCATOR dicitur, qui rem alteri ad usum pro certa mercede concedit.

LOCUS constituti vocatur ille, in quo aliquis se obligavit debitum, v.g. soluturum.

LUCRUM cessans de jure pro damno habetur.

LUMINUM servitus, dicitur jus illud, vi cuius vicinus tenetur pati, ut per fenestram in Ejus pariete apertam lumen ad ædes nostras delabatur.

M.

MAJOR Pars dicitur, ubi est major numerus votantium respectu totius Capituli, vel Congregationis.

MANDATUM dicitur, quo alienum negotium gratis gerendum committitur, & suscipitur.

MANDATARIUS vocatur, qui ex commissione negotium alienum, rogatus in alicujus absentia gerit.

MANDATUM in Foro Spirituali usitatum vocatur constitutio ad mores & disciplinam Ecclesiasticam ordinata, v.g. habetur in praxi mandatum Executivum, per quod demum datur sive Clerico, sive Laico, ut exequatur id, quod Judex Ecclesiasticus justè decernit.

MANDATUM Apostolicum de Providendo intelligitur, vi cuius mandat Papa cuipiam provideri de Beneficio.

MANUALE Beneficiū dicitur, ex eo, quia pro libitu, & cum causa rationabili auferri potest.

MANU mittere, est dare libertatem.

MARCA idem *Grzywna*, licet quidem communissimè capiat Grossos quadraginta octo, pro tempore currentes (ut fert praxis) idemq; constat ex *Lib: Summaryusz Monetzy &c.* ibi = *Grzywna* Anni 1676. warta Zlotych dwa groszy 12, bo to ieszcze Au-
reus był po Zł: 12, kiedy Zygmuntowski
by

byty monety, az quopiero ab Anno 1717. wart
 test Zloty: 1 y gro: 18. — nihilominus pro
 ratione mutationis monetae variis mutaba-
 tur annis. Itaq; Marca latorum Grossorum
 circa Annum 1250. quae olim fuit Argentea
 valet nunc florenos 324. — Item Marca la-
 torum Grossorum Aureorum eodem Anno
 1250. valet nunc summa floren: Polon: 3888.
 — Item Marca Grossorum comunium Pra-
 gensium circa Annum 1345. valet floren: Po-
 lon: 48. — item Marca vg. de Anno 1496
 valet nunc floren: Polon: 28. Gross: 24. — I-
 tem Marca comunis circa Annum 1538. va-
 let nunc flor: Pol: 18. — Item Marca circa
 Annum 1611. valet nunc flor: Pol: 12. Gross:
 10. Denar: 5. & gran: 6.

Colligitur verò ex *Zalassovia fol:* supra
 dicto 670. quòd Marca una & grossi duode-
 cem valent florenos octo Polonicales. Mar-
 ca verò lata valet florenos Polonic: viginti
 duos. Media tandem Marca, valet florenos
 Polon: undecim. Item colligitur ex variis
 Judicatis in Regno vg. ex Decreto Comit-
 torum Regni Anni 1693. die 13. Febru: Actis
 Consistor: Crac: inserto, ubi *Marca* reducta
 fuit in florenos 63. gross: 10. Idem ibidem

sub

sub die 17. Augusti habetur Anno eodem,
Marca reducta in florenos 48. Item Decre-
 tó Tribunalis Lublinensis Anno 1750. *Mar-
 ca* reducta in flor: 41. Item Decretó Tribu-
 nal: Anno 1747. *Marca* adjudicata fuit in
 florenis 36. Jam verò Anno 1746. fer: 3. post
Festum S. Lucae, in Castro Posnaniensi: est
 Decretum Tribunal: Petric: quo *Marca* me-
 diorum Grossorum reducta ad flor: 16. plu-
 ra videre est apud alios. De Moneta. vide
Grossus sub litera G.

MEDIA Sexagena, vulgo *Pothopek gro-
 szy*, seu *Zloty pospolity Polski*, alias 30. gro-
 szy. olim latorum Grossorum Aureorū Po-
 lonicalium Anni 1250. valet nunc summam
 floren: Polon: 2430. Item *Media Sexagena*
 latorum Grossorum Polonicalium Argente-
 orum Anni ejusdem 1250. valet flor: Polon:
 202. gross: 15. Jam verò *Media Sexagena*
 Grossorum, & numeri Polon: Monetae pro
 tempore in Regno currentis inscripta circa
 Annum 1250. valet nunc flor: 135. *Media Se-
 xagena* Grossorum comunium Monetae
 currentis per Annum 1368. valet florenos Po-
 lon: 38. gr: 26. s. 1. Denar: 3. Idem habetur
 o *Zlotych Polskich*, sic vg. *Zloty Polski* in

E

Au.

Anno 1487. wart iest Zło: Pol: 19. gro: 8. sze
 ląg 1. Denar: 4. y ćwierć. *Złoty Polski* in
 Anno 1596. czyni teraz Zło: 18. Sic pariter
 Jeden Złoty Polski zápisany w Roku 1578.
 wart iest Złotych 10. Tákich Tysiąc Zło-
 tych *Monetæ currentis per eundem Annum*
efficit summam, Dziesięć Tysięcy Złotych
 Polskich teraznieyszych. Item. *Złoty Pol-*
ski Anni 1620. teraz uczyni Zło: 4. gro: 15.
 Item ieden Złoty currens per Annum 1676
 ieszcze wart póstalera, alias Zło: 1. gro: 15.
 Ten zaś *Złoty Polski*, ktory idzie od Roku
 1717. stoi się teraznieyszych trzydziestu gro-
 szy. *Excerpt: ex Lib: cui tit: Summaryusz.*
&c.

Ex variis quod Judicatis deducitur, ut
 vg. in Anno 1751. die 8. Febr. in Consistor:
 Crac: *Mediam sexagenā* reductam fuisse ad
 florenos octodecem. *Item Anno 1752. Feriá*
6. post Dominic: Cantate, in Castro Crac: Flo-
 reni Trecenti per mediam sexagenam re-
 ducti fuerunt in flor: 5400. Reliqua aliunde
 collige. Vide *Sexagena* sub Lit: S.

MINOR, seu *Minorennis* de jure commu-
 ni dicitur, qui nondum 25. annum ætatis suæ
 excessit.

MISERABILES *Personæ*, dicuntur; Viduæ
 pupilli, pauperes, Minores, Scholares, A-
 gricolæ, advenæ, Neophiti, Cæci, Senes, &
 his similes.

MOBILIUM *nomine* veniunt, quæ mouen-
 tur de loco ad locum, aut quæ servando ser-
 vari, id est trienniô de jure durare non pos-
 sunt.

MODERAMEN *inculpatæ intellæ* dicitur,
 quando defensio sui ita fuerit moderata, ut
 invasus non potuerit periculum alio modo
 evadere, aut invadentem repellere, nisi e-
 um occiderit. Hinc si mutilare tantum suf-
 ficiat, non tenetur quis occidere.

MONARCHIA vocatur, quando jura Ma-
 jestatis & Potestatis, resident penes unum
 & solum, ut fit in Romano Imperio, Gallia,
 Hispania &c.

MONETA pro varietate temporum, & lo-
 corum varia est, ea tamen consistit ut plu-
 rimùm in pondere, & bonitate intrinseca,
 nec aliter solvi debet, nisi juxta communem
 & justam æstimationem, seu inter Contra-
 hentes conventam. Porrò si inter contra-
 hentes conventum est, in qua moneta solu-
 tio & vg. redemptio Census fieri debeat, (vg.

an in moneta currente tempore impositionis Censûs, vel in moneta currente tempore faciendæ solutionis & redemptionis) in tali moneta solutio, & redemptio faciendæ est. Quod si verò tempore impositionis, seu factæ obligationis non fuit expressè conventum, quòd solutio fieri debeat, vel moneta currente tempore impositionis Censûs, vel moneta tempore solutionis faciendæ, sed simpliciter actum est de solutione faciendâ in moneta currente, non exprimendo ad quod tempus monetæ Cursus deferendus sit? in tali casu, debitor non potest cogi ad solutionem in moneta tempore impositionis Censûs, sed potest solvere in moneta currente tempore solutionis, habito tamen respectu ad valorem monetæ currētis tempore obligationis factæ. Valor enim monetæ inspiciendus est tempore Cōtractûs, non tempore solutionis, sive valor accreverit, sive decreverit. Verùm hæc quidem, ita se haberi de jure volunt: si nempe antiqua moneta, quæ fuit tempore contractûs, non reperiat amplius tempore solutionis, tunc solutio in alia moneta currente, & usu recepta, ad valorem tamen extrinsecum anti-

qui-

quioris monetæ fieri potest. Secus verò si moneta antiqua adhuc existet, sed ejus valor extrinsecus auctus, vel diminutus sit; eo casu tam lucrum, quàm damnum Creditori imputandum erit, & ideo nulla forsitan incrementi, aut detrimenti ratio haberi posset, nisi Ipsius Creditoris, vel Debitoris mora interveniat, vel alia de jure & conventionem Partium expressa. Vide *Valor Monetæ* sub lit: V.

MONTES *Pietatis* vocantur æraria publicè constituta, ut ad ea indigentes velut ad montem quendam habeant refugium, ne magis ab usurariis opprimantur.

MORA vocatur in jure solvendi, vel accipiendi crediti frustratoria, seu injusta dilatio. Hinc regulariter dicitur — mora cuius sua, & non alteri nocere debet.

MOTU *proprio* tunc intelligitur, quoties Judex respectu negotiò gravî, & urgenti pro sola sui informatione, vel etiam ad decidendam aliquam ejusmodi causam, speciali suo instrumentò assignat & deputat, vel unum, vel plures Commissarios.

MUTUUM est res mutuò data, seu contractus quidam, quo res ita transfertur in

E3

ali-

alium, ut vel eadem, vel alia ejusdem rationis, quantitatis, & qualitatis tempore convento restituatur.

N.

NARRATIVA Literarum Apostolicarum tunc est verificanda in Gratia, quando in illa adest verbum *ut asseris*, — non verò quando adest verbum *ut asseritur*. Narrativa verò falsa vitiat rescriptum.

NEGOTIATIO dicitur, quando res empta non mutatâ materiâ alteri venditur. Omnis verò negotiatio præcipuè ad lucrum captandum Clericis est prohibita de jure.

NEGOTIORUM gestio in jure vocatur, quasi contractus, quo quis gratuito & absq; mandato alterius ignorantis, negotium gerendû suscipit, illudq; gerit.

NOBILITAS, seu *Jus Nobilitatis* in Regno Poloniæ acquiritur, imò *Nativitate*, quando ex utroq; Parente Nobili proles nascitur, & quamvis contingat nonnunquam inter Nobiles, quòd ducant Uxores ex Urbibus Majoribus opulentiores, sive aliunde plebejas, hoc tamen ipsorum Nobilitati nihil derogat.

gat. 2do *Nobilitatione*, sive cooptatione in numerum Nobilium, de Assensu Regis, & aliorum Ordinum Regni in Comitibus, *juxta Constit. Ann. 1578. sub Rege Stephano. 3tio Consecutione alicujus Magistratus in Urbe Privilegiata*, eo ipso quis efficitur Nobilis, ut in Cracoviensi, Vilnensi Urbibus &c. ubi Consules eo ipso quòd sunt Consules, Nobilium jura cum Posteritate sua habent, juxta Privilegia sibi concessa. Huc referri (non incongruû est,) mentionem Privilegii specialis, respectu Nobilitatis Doctoribus, & Professoribus Academiae Cracoviensis, à Sigismundo Rege Poloniæ, Cracoviæ Feria 4. in crastino S. Laurentii Martyris Annò Domini 1535. dati, quod incipit, ejusq; tenor est, *Significamus tenore præsentium &c. quia grata habentes Universitatis Scholæ nostræ Cracoviæ. merita — ibi — statuimus, ut omnes Doctores, & Professores, qui in hoc nostro Regno Gymnasio per 20. Annos continuè lectioni publicè operam dederint, ad prolem quòq; suam ex legitimo Matrimonio conceptâ omne jus Prærogativæ, & Dignitatis Nobilitatis transfundant. Sitq; dicta proles cum suis legitimis descendentibus utriusq; sexus ca-*

pax in eorum in Regno Dominusq; omnium Dignitatum Libertatum, & Prærogativarum, tam Spiritualium, quam temporalium Statû Equestrem concernentium, valeantq; accedere ad quosvis Regni nostri Honores, mania & Officia; Bona quævis Terrestria possint acquirere, & acquisita sine quavis angustia, quocunq; vocabulo teneantur possidere, sive in eandem Schola in loco Patrum suorum permanserint, sive aliò se transfulerint, more aliorû Regni nostri Nobilium viventes &c. &c. Pro Serenissimis autem Successoribus nostris Polonia Regibus promittimus, quod ipsi hoc Privilegium Nostrû, in omnibus & singulis particulis mantenebunt &c. &c. Quod Privilegium Authenticum asservatur in Archivo Academiæ Cracoviensis.

NOTARIUS est Persona Publica, cujus rite confecta Instrumenta plenam fidem habent, seu dicitur Persona Autoritate Superioris instituta. Alio nomine dicitur Tabellio à *Tabellis*, vel *Tabularius* à *Tabulis*, quæ ante Papyri inventionem ex Cera, aut alia Materia fiebant, & ad scribendum adhibebantur.

NOTORIUM dicitur illud factum, de quo con-

constat per evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari, vel de quo constat, per propriam confessionem Rei sponte factam in Judicio.

NOVALIA intelligi debent illi fundi terræ, qui prius nullos, aut modicos fructus afferebant, aut illi, qui ultra memoriam hominum, absq; cultura fuere, & ad præsens excoluntur.

NOVALIA hujusmodi alia dicuntur propriè *Novalia*; quando ex sylva vg. palude, aut alia terra inculta, ultra memoriam hominum jacente; ad culturam redigitur ager, qui locus si inter nullius Parochiæ limites existat, vel pro termino duarum Parochiarum olim constituebatur, ex tali loco Decimæ ad Episcopum loci spectant, qui eas cui voluerit Ecclesiæ applicare potest. *Novalia* verò in propriè dicuntur talia, quando vg. ex pomariis, ex pratis, vineis, pascuis &c. fiunt Agri, & ex talibus Agris decimæ debentur Parocho loci, non obstante, quod aliis ex aliquo titulo, privilegio vg. debeantur Decimæ. Si verò fiant agri ex fundis, de quibus antea solvebantur Decimæ, debentur postea illi, qui prius ex tali fundo per-

cipiebat, sive Parochus, sive alius fuerit, cui ex privilegio v.g. competunt Decimæ.

NOVATIO dicitur prioris debiti in aliam novam obligationem translatio manente eodem Creditore, & eodem Debitore.

NOVELLÆ, dicuntur Constitutiones Justiniani Imperatorum post Codicem jam editum factæ, & ideo *Jus novissimum* dictæ, seu *novellæ*, suntq; pars 4ta in Corpore Juris Civilis, quæ quidem & *authentica* appellantur, seu volumen novarum Constitutionum, *Authentica* verò in Codice positæ, tunc vim legis habent, quando correspondent *Novellis*, ex quibus desumptæ sunt.

NOVI *Operis nuntiatio*, est Solemnis prohibitio Vicino facta, ne in opere novo ædificando pergat, donec de jure ædificandi confiterit.

NOXALIS *Actio* dicitur ea, qua petitur, ut servas v. pecus, à quo damnum illatum est tradatur noxæ, seu detur pro damno illato, aut solvatur litis æstimatio à Domino.

NULLITAS *ex defectu Processus*, est ita substantialis, ut sententia super Processu nullo lata, à Judice appellationis, reformari non possit, sed tantum pro nulla pronuntiar.

O.

O.

OBLIGATIO est vinculum, quo quis alteri est adstrictus ad quid dandum vel præstandum, vel faciendum. Et talis obligatio, vel est solum *naturalis*, adstringens ad præstandum id, quod solo jure naturæ debetur. Ut v.g. Benefacientibus nobis, bene faciamus, vel ut Reus pro maledictis subeat penam. Vel *Civilis* tantum adstringens ad præstandum id, quod solo jure Civili debetur. Qualis est plerumq; illa, quæ oritur ex Literarum obligatione, vel ex sententia obligatoria. Vel *Naturalis Et Civilis* simul in qua & consensus contrahentium, & æquitas naturalis, authoritasq; juris concurrunt. Et talis est, quæ ex negotiis utroq; jure validis oritur, v.g. ex emptione, locatione &c.

OBLIGATI *ad rationem* dicuntur, qui ad aliquam publicam administrationem obligantur, ut sunt Tutores, Procuratores, Tributorum Susceptores, ac his similes, qui omnes ante redditas rationes ordinari prohibentur.

OBREPTIO, & *Subreptio Rescriptorum*,
li.

licet à multis pro eodem iuramentum ; tamen committi intelliguntur, quando per supplicentem, vel exprimitur falsitas, vel tacetur veritas de iure exprimenda. Nihilominus plerique distinguunt, *Obreptionem* committi per falsi narrationem, *Subreptionem* verò committi per veri taciturnitatem.

OCCUPATIO de iure Civili appellatur, apprehensio earum rerum, quæ nullius propriæ, sed iure naturali omnium hominum communes sunt, tales res sunt, v.g. Fera, Bestiæ, Volucres, Pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo & terrâ nascuntur.

OFFICIALIS *Episcopi* in iure, vocatur etiam *Vicarius Generalis*.

OFFICIUM *Judicis nobile* dicitur, quod Judex sua id est Juris autoritate exercet, etiam si nulla ponatur actio, sive quod Judex extra actionem institutam, ac veluti ex Officio exercere solet.

OFFICIUM *Judicis Mercenarium* dicitur, quod deservit actioni intentatæ, seu quod Judex exercere non potest, nisi ad instantiam Partis.

ONERIS ferendi servitus dicitur, v.g. vi cuius vicinus meus tenetur pati, ut paries, vel

vel columna in area ipsius posita onus ædificiorum mearum sustineat.

OPERA publica in iure vocantur Portæ, muri, Turres, valla, balnea, theatra publica aquæ ductus & similia, ad utilitatem civitatis pertinentia.

OPTIO est jus quoddam Capitulo, seu Collegiali Ecclesiæ ex consuetudine, vel statuto competens, ut antiquiores Canonici gradatim meliores præbendas decedentium optent, suas deteriores cum melioribus permutando, intra certum tempus. Optio hæc non procedit regulariter in aliis Beneficiis, quàm in Canonicatibus. Optari verò possunt & Domus Canonicales, ex eo, quòd sint annexæ Præbendis. Illa verò præbenda, quæ habet onus annexum uti Doctoralis, Pœnitentialis, optari non potest, quia in illa videtur electa industria Personæ, neque pariter in Beneficiis annexis alicui Dignitati optio datur. Porro jus optandi prius spectat ad antiquiores Canonicos, dein ad juniores, licet antiquiores in sacris non fuerint, imò Excommunicatis etiam jus optandi permittitur, quia optio non est collatio, Excommunicato verò tantum prohibetur, ne confe-

ratur Beneficiam. Optio hæc regulariter fieri debet juxta dispositionem juris intra 30. dies, hoc tamen tempus sicut potest prorogari, ita minui, vel aliud secundum loci consuetudinem statui.

OPPIGNORATIO intelligitur illarum rerum, quæ jure non prohibentur. Oppignorari autem prohibetur specialiter res sacræ religiose, nisi extet casus, vel necessitas cum facultate Superioris.

OPPOSITIO nullitatis Sententiæ, est legitima ostensio, Sententiam à Judice latam esse ipso jure nullam. Et hæc pluribus de causis accidere potest, v.g. Ob defectum Jurisdictionis; si à Judice non competente feratur. Item ob defectum substantialis Processus Judiciarii. Item si v.g. Sententia feratur à Judice delegato post Terminum delegationi præfixum, vel post recusationem Judicis suspecti, aut contra Reum indefensum, & plurimis aliis modis

ORDINES, seu Status Inclytæ Reip: in Regno Poloniæ, ut sapius in Comitibus nominantur, enumerantur esse tres, scilicet REX, SENATUS, & NOBILITAS.

ORDINES in Ecclesia Dei secundum Theolo-

logos numeratur esse septem, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Jam verò secundum Canonistas numerantur esse novem, ad formam Cælestis Hierarchiæ, & juxta novem Ordines, seu Choros Angelorum, quibus præmissis septem addunt primam Tonsuram, & Episcopatum, juxta Can: Cleros Disti: 21. Ubi omnium illorum fit mentio. Ex præfatis septem Ordinibus, alii dicuntur Majores, seu sacri, videlicet tres: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Alii Minores, qui sunt quatuor, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus.

ORDO Cognitionum vocatur in jure modus, & ille Ordo servandus à Judice, quoties ad discutiendum plures quæstiones occurrunt, quæ nonnunquam in eodem Judicio circa easdem Personas tractari debent. Circa hunc Ordinem Cognitionum est generalis regula, quod ubi plures concurrunt quæstiones, seu Causæ, quarum una dependet ab altera, illa prius in Judicio tractanda, triq; decidenda est, à cujus decisione dependet altera. Hinc v.g. si Mulier petat aliquem in

Virum sibi restitui, Vir autem Mulieri ob-
 ciat exceptionem Consanguinitatis, prius
 cognoscendū est de Consanguinitate, quā
 de Contractu Matrimoniali. Similiter si
 quis petat hereditatem Paternam tanquam
 hæres, & ipsi apponatur exceptio Nativita-
 tis, allegando nimirum, quod non sit filius
 defuncti, vel saltem non natus de legitimo
 Matrimonio, siquē succedere non debeat,
 ante omnia quæstio, seu Causa filiationis,
 aut legitimitatis discutienda est. Hoc ipsum
 procedere debet in qualibet exceptione pe-
 remptoria, nem ea prius discuti debet, an-
 tequam definiendum sit principale negotiū.
 Sic pariter hoc *Ordine Cognitionum*, quan-
 do Actio criminalis principaliter intentatur
 de ea prius cognoscendum est, quā tractetur
 actio Civilis etiam principaliter mota,
 si nempe utraq; simul in iudicio decidenda
 veniat, v.g. si Titius petat restitutionem sibi
 debiti cuiuspiam, & Cajus per modum re-
 conventionis accuset Titium de Crimine pa-
 trato homicidii, in hoc casu defacto prius
 terminanda est Causa criminalis, & altera
 differenda, donec quo quomodo criminalis
 pacificata fuerit. Si deniq; duæ simul Cause
 sc.

se, una principalis, & altera incidens tra-
 ctandæ veniunt coram diversis Iudicibus, v.g.
 si incidens sit mere spiritualis, Iudex Sæcu-
 laris non potest de ea cognoscere, sed hæc
 remittenda ad Iudicem Ecclesiasticum, &
 interim Iudex Sæcularis debet super causa
 principali supersedere. Et è converso.

ORIGO, quod ad recipiendos Ordines ma-
 gis attendenda est ratione Originis Patris,
 non Matris, adeoq; quis ordinari potest ab
 Episcopo loci, in quo Pater ejus natus est,
 jam verò natus in loco fortuito, per quem
 Mater transibat, vel ibi negotiorum causā
 tunc fuerat, vel in fuga hostiam ad tempus
 debebat; non potest dici ex eo oriundus,
 sed potius ex loco ubi Pater ejus tunc habe-
 bat domicilium. Imò filius si v.g. in mari
 natus fuerit, habet originem in domicilio
 Patris. Excipiuntur hæc illegitimi, hi enim
 Matrem ejusq; originem sequuntur, ac pro-
 inde, si quod ad defectum natalium dispen-
 sentur, in loco originis Matris, quando hæc
 alibi domicilium non contraxit, ordinari
 possunt. *Expositi* verò aliās quorum Paren-
 tes ignorantur, possunt ordinari in Diœcesi
 in qua naturaliter orti sunt, vel si de hoc cō-

82
stare nequeat, in loco, ubi expositi reperiuntur.

P.

PACTA *dotalia* vocantur, conventio inter Conjuges, de dote, aut etiam aliis Eorū Bonis.

PACTUM tunc intelligitur, quando intervenit duorum, vel plurium, in eandem rem consensus. Et hoc aliud vocatur *nudum*, quando fit simplex aliquorum de re aliqua pactio, sive conventio. *Aliud vestitū*, quod quandam firmitatem à Jure sortitur, & transit, vel in proprium à Jure nomen, vel habet causam, vel assistentiam Legis, ut actionem producat. Hoc pactum nomine magis proprio contractus dici potest.

PALATINI, vel *Castellani* in nullis terris Regni possunt in Capitaneos constitui, præter Capitaneum Cracoviensem, ita *Herburt. in Statut. Regn. Polon. fol. 31.*

PALEÆ appellantur aliqui Canones Decreto Gratiani inspersi sub hoc nomine *Palææ*, per quas nihil aliud intelligendum est, præterquam additiones quædam, quæ non

ab

83
ab ipso Gratiano, sed ab alio Authore Decreto ejusdem insertæ fuerunt.

PALINODIA vide *Actio ad Palinodiam.*

PANDECTA vide *Digesta* sub lit. D.

PARAPHERNALIA *Bona*, vide *Bona Paraphernalia* sub litera B.

PARRICIDIUM vocatur, quando quis ex Ascendentibus, vel Descendentibus, sive etiam Collateralibus aliquem occidit, v. g. quando proles Parentes, Avum, aut Aviam, vel Parens prolem è vivis tollit.

PATER & Frater, pro excessu Filii, & Fratris non punitur, & è converso, nisi sit particeps criminis.

PATIENTIA in jure vocatur, jus illud ferivitatis, quo quis patitur alterum uti jure quodam v. g. ire, agere, uti, frui &c.

PATRONUS dicitur, qui habet jus præsentandi ad Beneficium vacans. Qui si Ecclesiasticus sit, habet ad præsentandum de jure tempore *mensis* 6. Si verò Laicus, habet ad præsentandum tempus *mensum* 4. Is idem Patronus Clericus non potest se ipsum præsentare ad Beneficium. Quod si dicti Patroni intra menses sibi à jure præfixos non præsentent, tunc devolvitur collatio Beneficii ad

Ep.

Epi.

Episcopum, seu Loci Ordinarium. Episcopus tamen dictum spatium temporis in præsentando nonnunquam ex justis motivis potest prorogare Patronis. *Plura in tit: Jus Patronatus apud varios I. C.*

PAUPERIES vocatur illud damnū, quod animal ratione carens, alicui fecit, vel intulit. Hinc communiter pauperiem, non damnū fecisse dicitur animal.

PAX OLIVENSIS sancita est Anno 1660.

PENA Calumniæ est, ut Calumniator ultra condemnationem in expensas factas ab accusato, notetur infamiā, & puniatur talione. Hinc *calumniari* dicitur innocentem per malitiam in Judicium deferre.

PECULATUS, vocatur furtum pecuniæ publicæ, seu Fiscalis, vel rei Sacræ, quanquā in re sacra propriè sacrilegium fieri dicatur.

PECULIUM Castrense, vel quasi Castrense, Adventitium, Profectitium, vide Bona Castrensia &c. sub litera B.

PEDAGIA idem, quod Vestigalia intelliguntur, plerumquæ exiguntur, pro consecratione, & conservatione Pontium, & Viarum.

PERDUELLIO vocatur delictum publicū, quo hostilitas adversus Principem, aut Rem

publicam committitur à subdito, ut si quis in necem Principis conspiraverit, secreta Principis hosti revelaverit, vel seditionem excitaverit.

PERSONATUS vocatur præcedentia sine jurisdictione, quam verbi gr: habere dicitur Senior in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel alius, qui locum habet magis honorificum in Choro, & Processionibus.

POLYPEDIA in jure vocatur certus Librorum numerus, estquæ causa una ex aliis excusandi te ab onere tutelæ.

POLLICITATIO tunc intelligitur, quando est promissio solius offerentis.

PORTIO Canonica, dicitur quædam Pars Bonorum defuncti, Ecclesiæ Parochiali debita, vocatur *quarta funeralis* ex eo, quia de jure quarta pars eorum, quæ ratione funebris obveniunt loco, in quo quis sepelitur, debetur proprio defuncti Parocho.

POSSESSIO, quasi *pedum possessio*, vocatur, quæ dicitur jus insistendi rei corporali, non prohibita possideri. Res enim incorporales tantum impropriè, seu quasi possideri dicuntur, per usum scilicet, & quasi tradi per patientiam.

POSITIONES, dicuntur assertiones alicujus dicti, vel facti, ut ad eas adversario ponenti respondeamus.

POSTHUMUS ille dicitur, qui post mortem Parentis nascitur, cui omnia jura competunt, ut aliis legitimis liberis: *vide Filius posthumus.*

POSTLIMINIUM, *vide Jus postliminii* sub litera I.

POTIORITAS, *vide Jus potioritatis* sub litera I.

PUBLICÆ honestatis impedimentum, statuit Ecclesia, pro exigentia nempe honestatis naturalis, ut si quis habuit Sponsalia cum aliqua, non possit amplius matrimonium contrahere cum Ejus consanguinea.

PUPILLUS de jure, maximè apud Matrem educari debet, nisi ipsa ad secunda vota trāsierit, quòd si inter consanguineos, & alios controversia oriatur? Judex eam dirimet in spectu qualitate, & conditione Personarum, *vide Minor* sub litera M.

PURGATIO Canonica, est ostensio innocentie de objecto sibi crimine, vi cujus Reus juxta modernam praxim, & formam Ejusdem, imprimis volens purgari canonicè

tactis Evangeliiis juramentum præstare tenetur, quod illud crimen sibi objectum, nec per se, nec per alias Personas perpetraverit. Præterea debet adhibere compurgatores plures, vel pauciores, quot quot alias à Judice decernentur, qui debent esse vicini Ipsius Rei, qui vitam & conversationem Rei perspectā habeant, debebuntq; jurare, quod credant *purgandum* non commisisse crimē objectum. Peregrinis verò aliis ignotis, qui compurgatores non possent habere, si alias fide digni fuerint, creditur.

PLAGIUM est crimen publicum, quod illi committunt, qui liberos nostros, vel personas nobis subjectas, abducunt.

PLEBISCITUM est quod Plebs, Plebejo Magistratu interrogante, velut Tribuno, constituit. Et vocantur *Plebiscita*, quòd ea sibi Plebs sciscat, seu statuat, & habentur per modum alicujus Legis, in Urbe, sive Civitate. Sic vg. Cives Urbis Cracoviz, Posnaniz &c. sua distincta habent *Plebiscita*.

PLUS petere dicitur quis 4. modis. imò plus petitur *Re*, si vg. cum Actori debeantur 20. petat 40, vel cum res ejus sit tantum pro dimidia parte, ille verò petat totam, *vide*

tempore plus petitur: si quis petat ante diē, vel existentiam conditionis obligationi adjecta. *3tio loco* plus petitur, qui rem in alio loco petit, quam ubi conventio facta est. *4to Causā* plus petitur, cum aliquid in genere, vel alternativè debetur, petitur in specie, ut vg. si Titius debeat Cajo, vel solvere 10. Aureos, vel ipsi dare equum, & Cajo petat equum sibi dari.

PRECARIAE connectuntur cum Emphyteusi, dicunturq̄ contractus aliquis, causā remunerationis factus, & concessus, vg. si quis Ecclesiae aliquid donavit, poterit hæc eadem res ipsi vicissim ad dies vitæ in precariam concedi.

PRECES si veritate nitantur, & preces si veritate niti repereris, hæc duæ Clausulæ in Formulis Literarum Apostolicarum contentæ intelligendæ, & verificandæ sunt, ita, quemadmodum inter se differunt. Nam ista prior Clausula, si preces veritate nitantur, non impedit executionem Literarum, dum modo res à parte rei se habeat, imo, etiamsi in Literis Apostolicis non apponatur, cuius dispensationi tacitè inest de jure. Ubi verò illa clausula, — si preces veritate

niti

niti repereris, ibi conditionem importat, & est de forma aded, ut invalidè dispense Executor, si prius se non informet, & reperiat, vel cognoscat preces veritate niti, et si à parte rei preces veritate omnino nitantur. Pro verificatione tamen precum non requiritur informatio, & cognitio Judicialis, sed sufficit Extrajudicialis sine ordine, & forma Judicii, & per testes non juratos habita.

PRÆDIUM vocatur in jure aliud *Urbanū*, quod præbet usum urbanum, hoc est, quod inhabitandi, negotiandi, vel recreandi causā constitutum est. Aliud verò *Rusticū*, quod præbet usum *Rusticum*, hoc est, quod ad fructus colligendos, vel asservandos, sive propter pecora constructum est, sive in Urbe, sive extra Urbem.

PRÆJUDICATUM, vide *Judicata* sub litera I.

PRÆSCRIPTIO dicitur tunc, quando tempore legitimo completo per continuatam bona fide possessionem cupiam jus acquiritur in re aliqua. Hinc bonæ fidei Possessor post decursum temporis à jure definiti, Dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure uti volentem præscri-

F5

pti

ptione ejusmodi potest repellere. Introducta est *Præscriptio* ob utilitatem publicam, ne scilicet incerta sint semper rerum Domina, ac in pœnam eorum, qui multo tempore res suas negligunt repetere. Ad veram autem præscriptionem quatuor Conditiones requiruntur, *1ma* ut res, quæ præscribitur sit *apud præscribi*, hinc res sacræ, publicis usibus destinata, Juraq; spiritualia respectu Laicorum, cum ab iis possideri nequeant, etiam præscribi non possunt. *2da* Conditiō est *bona fides*, quæ est sincera rei alienæ ignorantia. Hinc, qui scit rem esse alienam quam possidet, eam nullatenus præscribere potest. *3tia* Conditiō, est *titulus justus*, qui scilicet ad conferendum Dominium rei sit causa habilis: qualis est v.g. Donatio Emptio &c. Hinc alii vituli, qui dominiū non transferunt, v.g. Commodatum Depositum &c. ad præscriptionem sunt inhabiles. *4ta* Conditiō est *Possessio Legitimo tempore continuata*, id est tempore à jure præscripto, v.g. 30. vel 40. annorum &c.

PRESUMPTIO vocatur rationabilis conjectura rei dubiæ collata ex indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt.

Hæc

Hæc alia dicitur *Juris tantum*, cui scilicet jus tamdiu innititur, donec adversarius contrarium ostendat. Alia verò, quæ dicitur *Juris*, & *de jure simul*, cui nempe jus ita fortiter innititur, ut eam pro veritate habendam decernat, vocaturq; *fortis præsumptio*. Unde in Præsumptionibus *juris*, & *de jure simul*, non admittitur probatio in contrariū, secus in Præsumptionibus *Juris tantum*.

PREVARICARI dicitur ille, qui cum accusasset, vel denuntiasset aliquem de crimine publici Judicii, postea corruptus dissimulavit, veras probationes, & inefficaces protulit, vel quoquo modo Reum adjuvit, ut absolveretur.

PREVENTIO dicitur, quando Jurisdictio ab uno Judice præoccupatur, ut alteri in eadem causa non amplius competat. Hinc dicitur *Causa esse præventa*, id est in alio Judicio. Hæc autem *Præventio* inducitur per solam citationem, quamvis non peremptoriam. Excipitur crimen hæresis, in quo non est locus præventioni.

PRIVILEGIUM accipitur pro ipsomet Jure, Beneficio, seu Gratia cuiquam à Principe concessa. Diciturq; jus singulare in gratiam

cer-

certæ Personæ, aut Causæ a Superiore constitutum. Privilegium ejusmodi aliud dicitur *Reale*, quod mediatè quidem confertur Personæ, directè autem rei alicuī, à Persona distinctæ, v.g. loco fundo, Communitati; aliud verò *Personale*, quod immediate Personæ confertur, & hoc cum Persona extinguitur. *Reale* verò transit ad eos, apud quos res reperitur.

PRIVILEGIUM FORI, competit Clericis, vi cujus exempti dicuntur ab omni potestate, & jurisdictione Fori Sæcularis. *Privilegium verò Canonis*, vi cujus refrenantur Laici ab injuriis Clerico inferendis, quas si inferant, dicuntur incurrisse *Canonem*, seu Excommunicationem, quam sibi Canon ille adnexam habet, *scilicet Can. Si quis svaderit* 17. q. 7.

PRIVILEGIA, Magistri, Doctores, & Licentiati, habent de jure sibi concessa, & quidem tam Doctores Theologiæ, quàm Juris Utriusq; & Medicinæ, quæ recenseri possunt inter alia, hæc: *primum*, quod à plebeja conditione exempti in dignitate censeantur constituti. *Secundum*, quod Nobilibus annumerentur, veramq; Nobilitatem consequantur.

Qua-

Quapropter gaudent etiam Nobilium prærogativis. *Tertium*, quòd pro Doctoribus, & Magistris militet ubiq; præsumptio integritatis, ac innocentia, adeò; ut propterea illi in obtinendis Dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis præferri debeant. *Quartum*, quòd exempti sint à muneribus, tam realibus, quàm Personalibus. *Quintum*, quòd criminum rei mitius puniendi sint, nec torturæ præterquam in criminibus exceptis, subjiciendi, vel alio ignominiosiori pænæ genere affiendi. Præter hæc verò Privilegia Doctores, & Professores actu in aliqua Academia docentes, habent adhuc specialia Privilegia, inter quæ *principale* est, quòd dum Theologiam, vel Jus Canonicum docent, etiam absentes percipiant fructus Beneficii. In favorabilibus nomine Doctorum, & Magistrorum veniunt, etiam Licentiati ita; ut omnibus eorum Privilegiis fruantur. Reliqua Doctorum, & Magistrorum Privilegia, videre est sparsim in jure.

PROBATIO est ostensio rei dubiæ, & controversæ legitimè Judici facta, & hæc affirmanti incumbit, nonnunquam etiam Reus probare tenetur, si excipiendo aliquid affirmet,

met, ut v.g. te jam debitū soluisse &c. Hinc plenissime probationes præcipuè requiruntur in criminalibus, quæ debent esse luce clariores. Jam verò Probatio dicitur multiplex: alia *Probatio plena*, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendas controversias sufficit. *Probatio evidentissima* dicitur illa, quæ fit per Privilegia, & Instrumenta indubitata. *Probatio clara* dicitur, quæ fit per Testes. *Probatio minus evidens*, quæ fit per conjecturas, & præsumptiones, & vocatur *probatio præsumptiva*. Item *probatio legitima*, qualis propriè loquendo; dicitur illa, quæ fit Testibus, vel instrumentis, sed non per juramentum. *Probatio semiplena* dicitur, per quam aliqua fides rei gestæ ostenditur Judici, non verò tanta, ut jure possit moveri ex eo: ad ferendam sententiam.

PROCESSUS *summarius* consistit in hoc, quod in ipso ad præcendendas litium prolixitates omitti possunt pleræq; solemnitates, non item illæ, quæ jure naturali, aut Gentium ad legitimam Causæ decisionem sunt necessariae.

PROCURATIONES *in jure*, sumuntur pro necessariis sumptibus, & impensis, quibus

Epi.

Episcopi, vel alii Illorum loco, actualiter visitantes Diocesim, vel Ecclesias, indigent pro sustentatione competenti.

PROFESSIO *Fidei* publicè facienda est ab illis, quos Jus Ecclesiasticū rigorosè obstringit, & quidem tenentur hoc jure ad faciendam fidei professionem, imò Baptizandi, quòd si illi credere, aut loqui non valeant, ut parvuli, amentes, vel muti, eorum vice alius profiteatur, v.g. Patrinus. sitq; talis professio fidei per congruentes responsiones à Baptizando, vel ejus nomine à Patrino factas, ad interrogationes Baptizantis. 2do Hæretici, qui ad veritatem fidei Catholicæ, & unitatem S. Matris Ecclesiæ, sponte redire voluerint. 3tio illi, qui Sacris Ordinibus sunt initiandi. 4to Promoti ad Episcopatum. 5to Promoti ad Canonicatus, & Dignitates Cathedralium Ecclesiarum, vel ad quæcundq; Beneficia Ecclesiastica, curā animarum habentia, item simplicia. Quod extenditur, & ad eos, qui in adeptione alterius Beneficii eandem professionem fidei jam antea emiserunt. 6to tenentur facere professionem fidei omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscundq; Artis, & Facultatis Professores, sive

sive Clerici, sive Laici, vel cujuscunq; Ordinis Regulares sint, qui in publicis Universitatibus, aut Scholis, vel alibi docere, seu Lectiones aliquas habere, vel ad aliquem Gradum in Universitate promoveri voluerint. De his & aliis ita specialiter jura disponunt.

PROFESSIO Religiosa, est promissio liberè facta, & legitimè acceptata, qua quis in debita ætate constitutus; post annum probationis expletum se adstringit certæ Religionis ab Ecclesia approbatæ. *Ex dispositione Juris* ad valorem Professionis Religiosæ plura requiruntur. *imo* Ætas legitima annorū, videlicet sexdecem completorum, ita *Cœcil. Trident: sess: 25. De Regularib: cap: 15. 2do* requiritur annus probationis completus, & quidem hic annus debet esse continuus. *3tio* ut Professio omninò liberè libero consensu profitentis, absq; omni metu gravi, sive cadente in Virum constantem ab externo injustè incusso fiat. Inter causantia metū gravem specialiter recensentur, vg. minæ, vel periculum mortis, item mutilatio, cruciatio corporis per carcerem, verbera, inedia, aut similia, quæ tamen prædicta arbitrio Judicis subesse debent, & ab eo cognosci. *4to*

ad

ad valorem Professionis requiritur Consensus, & acceptatio illius, vel illorū, ad quos spectat aliquem ad Professionem suscipere. Ut autem Professio supradicta differri potest ultra annum ex justa aliqua causa, vg. si finitò annò Novitiatus non inveniatur habitus, ita pariter aliquando ante annum probationis finitum validè potest fieri Professio, in casu quo, vg. Novitius, vel Novitia versaretur in probabili periculo mortis, dum modo decimum sextum ætatis annum, jam compleverint. Hujusmodi Professio Religiosa habet suos effectus de jure præscriptos, & quidem, quòd extingvat omnia vota simplicia prius facta, etiam votum intrandi strictiorem Religionem: item aufert irregularitatem ex natalibus provenientem in ordine ad suscipiendos Sacros Ordines, non itè ad Prælaturas. Alias tamen ex aliis culpis irregularitates provenientes non tollit. Item: dirimit non tantum sponsalia, sed etiam Matrimonium contractū nondum consummatum, liberat Professum à Patria potestate. Quantum verò ad probandam causam (si quo modo contingat) invalidæ Professionis, non sufficit nuda assertio, etiam

G

ju

juramentō firmata, nisi iustis de causis intra quinquennium reclamatio fiat, viā enim ordinaria de jure post quinquennium non amplius audiendus est reclamans contra Professionem, etiamsi alleget, & probare paratus sit, quod intra idem spatium temporis ignoraverit nullitatem Professionis suæ, vel alias absq̃ culpa sua à reclamando impeditus fuerit. Quinquennium verò illud ad reclamandum concessum, dicitur currere à die Professionis factæ. In eo tamen casu Professio Religiosi annullari posset, si Pater omnino egeret subventionē, vel in aliis à jure casibus præscriptis. *De qua re apud varios DD plura vide.*

PROSCRIPTIO de jure dicitur, Personarū jure victarum, cujus vis illa est, ut is qui ei addictus est, intra fines Regni degere prohibeatur, alioquin à quovis impune occidi possit.

PROTESTATIO dicitur, de jure clamosa testatio ad cautelam protestantis inventa, seu testatio prohibitoria, seu derogatoria, aut conservatoria alicujus instantiæ, vel futuri facti, seu Juris aut negotii proprii Ipsius Protestantis. Hinc licet quidem dicta *Pro-*

testatio non est actus Judiciarius, nec qui protestatur agere dicatur, dicitur tamen semper præservare Jus Protestantis. *Protestatio* tamen hæc post factum nihil juvat, cum actibus solum in futurum provideri, & prodesse soleat, interpretanda est verò semper, ut sit magis proficua Protestanti.

PROTOCOLLUM vocatur Liber ille, in quo Acta Judicialia scilicet actiones, Exceptiones, Depositiones testium, & aliæ transactiones &c. conscribuntur.

PROVOCATIO dicitur genus appellationis. Nam provocare significat appellationē extra judicalem. Et licet non omnis provocatio sit appellatio, quælibet tamen *appellatio*, *Provocatio* de jure appellatur.

PROXENETICA sunt remunerationes, quæ solvuntur illis, qui præstant contrahentibus operā, in negotiis cōtrahendis, v.g. Si pecuniā fanori quis exponere velit, petit à Proxenetæ, ut ei perquirat mutuatarium, quod si quem invenerit, pro opera sua mercedē accipit.

Q.

QUADRAGENARIA possessio dicitur, id

est quadraginta annorum.

QUADRAGENARIA præscriptio est Canonica, seu Ecclesiastica, qua præscribuntur res, seu Bona Ecclesiastica, præsertim temporalia, ut fundi sylvæ Prædia, & his similia, vide *Præscriptio*.

QUADRUPPLICATIO, vide *Duplicatio* sub litera D.

QUARTA *funeralis*, vide *Portia Canonica* sub litera P.

QUASI *contractus* dicitur tunc, quando tacitus solum consensus in eo reperitur, quæ jura ob aliquam æquitatem naturalem ad se præsumunt, licet alterius futuri consensus præsumitur ignorans, aut etiam invitus, v.g. in hoc casu — Cajus profectus est in longas oras, & reliquit Domum suam vacuam, quæ cum per diuturnum tempus à ruina lapsum minaretur, Titius volens absenti favere, Domum reparavit, hinc ortus est quasi contractus restituendi Titio pecuniã, pro reparata Caji Domo.

QUASI *delictum* vocatur, cum quis sine dolo, culpã tantum aliquã delinquere intelligitur.

QUERELA *inofficiosi Testamenti*, vocatur

in jure *Actio realis* tunc, quando liberi, vel consanguinei jus, vel interesse aliquod habentes ad Testamentum, tanquam contra officium, v.g. Juris naturalis (excludendo liberos ab hæreditate, vel eis sine justa causa legitimam denegando) vel tanquam contra officium pietatis factum, querulantur, & debitam portionem vindicant.

QUERELARUM *termini* de jure Regni vocantur, tunc, quando in præscriptis certis causis, litigantes Capitaneus facit citari ad querelam, ut v.g. pro expulsione Dominæ dotalitatis, vel pro recenti crimine &c. (Tempus autem recentis criminis censetur esse annus & sex hebdomadæ) vel pro aliis delictis; juxta consuetudinem locorum, vide *Herburt: pag: 393.*

QUESTIO *Juris & facti* distinguuntur. *Quæstio enim Juris* est, quando de merito facti quæritur, v.g. quid de tali facto statuendum? an Cajus jure Domum invaserit? nec ne? quam pœnam meretur? *Quæstio vero facti* dicitur, cum de facto ipso, aut ejus circumstantiis quæritur, vel lis movetur, v.g. an Cajus hominem occiderit? quomodo? quo tempore? &c.

QUIDAGIUM proprie vocatur illud, quod dant transeuntes pro salariandis illis hominibus, qui securè eos deducunt per loca, seu loci securitatem præstant.

QUITANTIA idem est, quod *Apocha*, vide sub litera A.

QUOMODO *Judex* circa sententiam definitivam proferendam gerere se debeat? & *Judex* auditis partium propositis & responsis, probationibus, allegationibus, earumque lectis (si opus fuerit) Inquisitionibus Testium juratoris &c. curabit ad certum diem litigantes, seu partes citari ad audiendum sententiam definitivam ferri, & in scriptis publicari. = Quo Termine adveniente, sive pars altera comparuerit, sive non, pro Tribunale sedens, & Justitiam æquitatemque ac solum Deum præ oculis habens, Christi nomine invocato, maturè prius & deliberatè negotio discusso, servatoque Juris ordine, secundum allegata, & probata, non secundum privatam scientiam, etiamsi illam haberet, tempore congruo, & locò audiendarum causarum, die juridica non feriata, de die non de nocte, & ea die, ad quam citatio data est, (quia alias sententia esset nulla)

sen-

sententiam in mente formatam, propositi-
oni in citatione expressè conformem pro-
feret, prolatam per Notarium in scripturam
rediget, eamque ferri petentibus, sedendo, seu
ore proprio, (si mos alicubi fuerit) alias per
Notarium publicabit.

Quo quæ *Vinculum* dicitur solvi Matrimo-
nium, quando de ejus nullitate, seu impe-
dimento dirimente, notoriè & certè consti-
terit. Ad dissolutionem tamen hujusmodi,
requiritur Autoritas legitimi Judicis, idest
Ecclesiastici, ita, ut privata Conjugum au-
thoritate dissolvi, aut unus alterum dimitte-
re nequeant. Quo ad *thorum*, vel cohabita-
tionem dicitur, tunc dissolvi, quando sit le-
gitima (idest autoritate Judicis, vel juxta
leges & Canones) Viri & Uxoris separatio,
manente tamen vinculo Matrimonii. Et
hoc fieri potest, vel quò ad solum *Thorum*,
idest quò ad debitum Conjugale alteri lici-
tè denegandum, vel quò *Thorum* & *cohabi-
tationem* simul, ita, ut Conjuges non tantum
ab obligatione reddendi debitum, sed etià
habitandi in eadem Domo, fruendi mensa
&c. immunes fiant.

Quod juris decerni; intelligitur tunc

G4

quan-

quando petitur à Judice, ut quomodo Processus juris requirit, contra aliquam partem in Judicio procedatur, cui Judex facile ex æquo annuere tenetur. vg. Si quis citet aliquem ad Judicium, & ille non compareat, vel judicato non pareat, potest petere contra Eundem *Quod juris*: idest, vel *monitorium non viso robore*, vel *mandatum executionis* &c. quod Judex decernit.

R.

RAPINA dicitur, ablatio injusta rei alienæ mobilis vi facta, per quod differt à furto, hoc enim clam, & sine vi aperta fieri solet.

RAPTUS in quantum dirimit Matrimonium, est violenta abductio fæminæ in ordine, ad contrahendum Matrimonium. Quod si verò puella consentiat, sive Virgo, sive Vidua, sive minus honesta sit, etsi insciis Parentibus abducatur, *Raptus* non erit: Itaque hoc impedimentum Canonicum solius mulieris, non autem Viri (si quoquo modo contingeret) violenta abductio constituit. Non poterit quod dici *raptus* tunc, quando illa

ab-

abductio fæminæ non sine contrahendi matrimonii, sed vg. libidinis, vel alterius rei causâ fiat. Tamdiu autem impedimentum *Raptus* inter *Raptorem*, & *Raptam* viget, (etiã si rapta, post raptum liberè consentiat;) quamdiu sit in potestate Raptoris, secus si ab Eo separata, & in loco tuto constitutur. *Raptores* Virginum, & auxiliares de jure Canonico sunt excommunicati ipso facto. De jure verò Civili, & Regni Poloniæ, præscriptas merentur pœnas, ubiq; locorum puniri possunt, & sortiuntur forum.

RASURA in Instrumento, vel literarum deletio si fuerit facta, in aliqua parte substantiali, tunc instrumentum redditur suspectum, & reprobari potest, secus si non in parte substantiali facta sit.

RATIOCINIA dicuntur rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur ex administratione rei publicæ, aut privatæ, quam gessit, hinc tales, qui ad ejusmodi ratiocinia sunt obligati, prohibentur ordinari.

RECEPTATIO vocatur in jure crimen extraordinarium, quo quis Latronibus, & aliis facinorosis; eos abscondendi causâ, in sua, vel aliena domo refugium præstat.

G5

R5.

RECEPTUM in Jure vocatur etiam quasi contractus, quo Nautæ, Caupones, vel Stabularii, Vectorum, aut Viatorum res recipiendo, promittere censentur eas salvas fore, & proinde ad restitutionem earum, cum omni causa obligantur. Hinc oritur actio *Exercitoria*, vide *Exercitor*, sub litera E.

RECONVENTIO idem, quod mutua petitio, cum scilicet conventus Reus ab Actore, vicissim eum Actorem reconvenit, & aliquid ab eo petit, coram eodem Judice.

RECUSATIO *Judicis* dicitur, Judicis suspecti, & Jurisdictionis ipsius; proposita causa suspensionis, declinatio.

RECURSUS ad Principem, succedit loco appellationis, ejusque effectus operatur adeo, ut etiamsi negetur appellatio, tamen recursus admitti debeat, qui tamen suspendit jurisdictionem, & ligat manus Judicis inferioris, ut illo pendente ad ulteriora procedere non possit, sub pena attentatorum. Imo quamvis fuerit prohibita quæcunque exceptio, oppositio, vel appellatio, manet tamen, & locum habet recursus.

REFORMATIO ex dispositione Juris Regni vocatur tunc, quando Nobilis fæminam

ali-

aliquam in Uxorem ducens, & cum ea dotem accipiens, tam magnam summam, quam inuenta dotis accepit, eidem Mulieri in medietate omnium Bonorum suorum Hereditariorum, & obligatoriorum, mobilium, & immobilium, habitorum, & habendorum aliam summam similem, ratione dotalitii, vulgo *Przywianka* inscribit, & assecurat. Hinc mulier mortuò Maritò Bona illa, in quibus dotem reformatam habet, retinere, illaque libere disponere potest.

RENUNTIATIO, seu Resignatio Beneficii, dicitur spontanea Beneficii, coram Legitimo Superiore dimissio.

RENUNTIATIO hæreditatis dicitur, quædam donatio, quæ tamen sine causa facta non valet de jure, strictè tamen interpretanda, nec extendenda ultra verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem. Sic renuntians Hæreditati Paternæ, vel Maternæ, potest eam adhuc re-habere à Fratrem, vel alio ad quem devenit renuntiata. Ita pariter Renuntiatio facta à Moniali ante duos menses Professionis, est nulla, juxta *Conc. Trident. sess. 25. cap. 16.* Pariter Renuntiatio facta à Regulari post pro-

professionem potest ab eo revocari, si factus Episcopus: verum hæc non extenditur ultra specificata in jure, habet enim implicitum pactum de non repetendo, quia rennuntianti jura sua, non datur ad ea regressus.

REPETUNDARUM crimen committere dicuntur, qui in officio publico constituti, aliquid accipiunt eo fine, ut aliquid faciant, vel non faciant, quod ex Officio facere, vel omittere tenentur.

REPLICATIO dicitur in jure Exceptioni contraria, quæ scilicet Actor elidit, vel negat exceptionem Rei. Sed contra *Replicationem* Actoris conceditur Reo *duplicatio* Vide supra *Duplicatio*.

RESCRIPTUM est responsum à Papa, vel Principe datum in scriptis ad alterius consultationem, Relationem, Supplicationem. Dicuntur alia *Rescripta gratiæ*, quæ dantur ad Beneficia, & similes Gratiæ. Alia *Rescripta Justitiæ*, quæ dantur ad decisionem, vel delegationem Causarum.

RES *distinguntur in jure* sic: Res dicuntur alia *Sacra*, quæ scilicet ritu solemniter & publico, per Pontifices Deo consecrantur,

vg. Tempia, Altaria, Vasa, & alia his similia. *Res Religiosæ*, quæ scilicet piis usibus sunt destinata, vg. Religiosorum Domus, Xenodochia, Cæmeteria, & his similia.

RES *Sanctæ* dicuntur, quæ sanctione quadam, idest lege muniuntur, & pœnarum terrore à violatione defenduntur, vg. Portæ Civitatum, Prætorium, Domus Plebanales, Sylvæ, Prædia, ad Ecclesiam pertinentia, & his similia. Et hæc res dicuntur esse *nullius*, quod enim divini juris est, id *nullius in Bonis* est.

RES *Corporales* vocantur in jure, quæ tangi, vel videri possunt, vel sub sensum ejusdem cadunt, vg. Domus, Prædia, agri, aurum, argentum &c.

RES *incorporales* dicuntur, quæ sub sensum exteriorem non cadunt, sed solo intellectu, & animi judicio percipiuntur, vg. obligationes, actiones, Transactiones, Jus Patronatus, hæreditas, &c.

RES *mobiles* dicuntur eæ, quæ locò moveri possunt, ut vestis, animalia, naves &c. *Res immobiles* è contra sunt, quæ locò non moveantur, ut Ecclesia, Domus, Agri, prædia, & similia. Porro nomine *immobilium*

veniunt etiam Beneficia, reditus, Census, Jus patronatus, usus fructus &c. Rursus nomine *immobilium* comprehenduntur jura & actiones ad *immobilia*. Jam verò jura & actiones ad *mobilia*, vg. ad Equum, vestem &c. res mobiles non minùs ac Equus, vestis &c. dicuntur. Siquidem accessorium naturam sequitur principalis, *juxta Regul. 46. in 6to.*

RES JUDICATA dicitur illa, quæ accipit finem controversiarum ex sententia Judicis. Est enim res judicata valde affinis *sententia Judicis*.

RESCISSIO, seu *irritatio contractuum*, aliorumve actuum, dicitur vel *ipso jure*, vel per *sententiam Judicis*. *Ipsò jure* tunc, quando Lex per se ipsam, & non expectata sententiâ Judicis actum irritat, & cassat, uti accidit in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus matrimonium. *Per sententiam verò Judicis*, Lex irritat contractum, vel alium actum, quoties ipsum decernit, non per se ipsum, sed per sententiam Judicis esse irritandum, & annullandum.

RESIGNATIO dicitur, Juridica Bonorum venditorum *immobilium* traditio.

RE.

RESTITUTIO in integrum, vocatur extraordinarium Juris remedium, cum quis per sententiam Judicis graviter læsus eam, tam appellabilem, quam inappellabilem, petit se allegatis justis causis, & rationibus in pristinum causæ statum restitui. Et hæc restitutio in integrum peti debet coram Judice competente Illius, in cujus præjudicium petitur restitutio, Qui etiam major debet esse illo, contra cujus sententiâ restitutio illa imploratur, & hæc peti debet, vel per ipsum læsum, vel per Ejus Procuratorem præsentem illo contra quæ petitur, vel ob contumaciam absente. Conceditur verò de jure non solum minoribus, sed & majoribus ex causa, vg. absentix, vel erroris &c. item Ignaris juris, qui non potuerant peritiores consulere &c. Dicitur verò *Sententia Inappellabilis*, vel ex natura causæ, vel ob excellentiam Judicis.

RESTRICTIO mentalis intelligitur purus conceptus mentis, qui nullo modo concordat cum verbis oretenus prolatis.

RETRACTUS, vide Jus *Retractus* sub litera I.

REVOCATIO, dicitur prioris voluntatis immutatio. Cæterum tamen revocatio generalis.

ne.

neralis non revocat ea, quæ specialibus locis, aut Personis fuerunt concessa. Sic aditio hæreditatis semel facta per hæredem revocari non potest. Item facta & concessa secundum bonos mores non possunt revocari, si revocatio esset contra bonos mores. Et sic de aliis:

REVOCATIO Privilegiorum fit *duplíciter*, vel *specialiter*, quando hoc, vel illud privilegium in specie revocatur. *Generaliter*, quando per communem clausulam generalé revocantur omnia Privilegia constitutioni, & Decreto alicui contraria, v.g. Per illam clausulam, *non obstantibus quibuscumq; Privilegiis &c. &c.*

REUS dicitur Ille, contra quem in Iudicio agitur. Dicitur hic *Reus* non à reatu, quòd sit nocens, sed à re, gratiâ cuius eidem actio intentatur.

RUBRICÆ, quia olim rubro caractere exprimebantur, intelliguntur illæ Inscriptiões, quibus Tituli librorum, vel distinctionum prænotantur, v.g. in Decretalibus Prima vocatur *Rubrica* — *De summa Trinitate, & Fide Catholica. Itē de Rescriptis &c.*

S.

SACRILEGIUM ut est species furti, tunc dicitur, quando res sacra ex loco sacro, vel profano, vel res profana è loco sacro injustè auferitur. In quavis autem acceptione, vocatur indigna rei sacræ tractatio.

SALVUS conductus, dicitur Beneficium à Principe impetratum, velut ad effectum, ut quis valeat comparere ad se defendendum, super aliquo crimine de quo inquiritur. Et talem salvum conductum possunt dare præter Reges & Principes, etiam Duces & Comitibus &c, qui in suis Dominiis habent meum, & mixtum Imperium.

SANCTIO vocatur, quando pœna adjicitur sustinenda à transgressoribus.

SATISDATIO, est cautio pro eo, quod inter Partes est, ut de eo reddantur in eventum certiores.

SECUNDÆ Nuptiæ, sunt ideò dictæ, quia primas sequuntur, seu primum matrimonium, per has tamen *secundas nuptias* intelliguntur, non tantum illæ, quæ primas immediate sequuntur, sed etiam Tertix & quartæ &c.

SEDES *vacans*, intelligitur sedes Episcopalis, hoc est Ecclesia Cathedralis, aut Metropolitana suo viduata Pastore, seu mortuo Episcopo. Quod etiam extenditur ad Abbantias, aliasq; Dignitates, quæ per obitum Prælatorum suorum censentur esse viduatz. Hinc vacante hac Sede Jurisdictio Ordinaria, sive potestas Episcopi devolvitur ad Capitulum, non tamen illa, quæ Episcopo Defuncto jure speciali puta ex Privilegio Commissionis &c. competebat. Sic v.g. ubi Episcopo competit potestas, v.g. doctorandi ex Privilegio speciali, vel licentiam ad Doctoratum conferendi: uti competit cuivis Episcopo Cracoviensi, ea non transit ad Capitulum sede vacante. In casu vero quo Episcopus sit captus ab hostibus, & detentus, interim ad Capitulum Administratio pertinere debet, donec à Sede Apostolica aliud disponatur, Quæ super hoc per Capitulum, quam cito fieri potest, est consulenda. Quamvis nihil obstet, quin Episcopus ab hostibus detentus per literas suas possit subditis suis præcipere, suamq; Ecclesiam quatenus valet, administrare.

SENATUS *Consultum* est, quod Senatus jubet atq; constituit.

Sen.

SENTENTIA *definitiva*, dicitur Judicialis definitio, controversiæ finem imponens, ac condemnationem, vel absolutionem continens.

SENTENTIA *Interlocutoria*, vide *Interlocutoria sententia* sub litera I.

SENTENTIA *impugnari* potest, vel ratione nullitatis, vel ratione annulationis, *Ratione nullitatis*, ex solis rationibus, ac motivis in jure fundatis, v.g. quia Judex fuit in competens, vel quia die feriato sententiam tulit, vel quia contra absentem, & non citatum, &c. &c. *Ratione Annulationis* impugnatur, vel per *Ordinarium* remedium, scilicet appellationem, vel per *Extraordinarium*, v.g. per viam Restitutionis in integrum, aut per viam reclamationis, recursus, querelæ &c. &c.

SENTENTIA *Interlocutoria*, vim Definitivæ habere; potest cognosci per signa sequentia. *imo*, quando post ipsam non speratur alia ferenda sententia in eadem instantia, eò quòd ipsi finem imponat. Talis sententia dicitur v.g. illa, qua Judex interloquendo pronunciat aliquos non posse, vel non potuisse de jure appellare, vel qua Judex pro

H2

nun.

nuntiat, *vg.* appellationem esse desertam, quia per talem quoque sententiam finitur instantia. *2do*, omnis illa sententia, per quam definitur unus articulus causae principalis, ut *vg.* si minorennis petat restitutionem in integrum, & Judex pronuntiet ipsum non esse minore 25. annis, nam per talem sententiam minorennis tacite excluditur à beneficio restitutionis in integrum. *3tio*, sententia interlocutoria, per quam expirat Officium Judicis, dicitur quoque habere vim definitivam, quod accidit, quando Judex pronuntiat se non esse competentem Judicem, sic enim interloquendo videtur jam functus esse suo officio. *4to*, quando admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria. *5to*, omnis interlocutoria, quae continet aliquid dari, vel fieri à parte, habet vim definitivam, ut est *vg.* sententia multam imponens, & aliae hujusmodi. Hinc si sententia interlocutoria sit talis, ut habeat vim definitivam, tunc ab ea debet appellari, tanquam à definitiva, ita *cc. DD.*

SEPULCHRI *violatio* dicitur, quando vel reliquiae, vel ossa extrahuntur, vel corpus mutilatur, & membra Ejus, vel partes in

rem

rem pessimam adhibentur, item cum sepulchra destruuntur, aut vestes, & similia in eis recondita auferuntur.

SEQUESTRATIO dicitur rei litigiosae apud tertium, (qui *ideo sequester vocatur*) depositio. Fit autem sequestratio necessaria, vel motu proprio Judicis, seu (ut vocant) ex nobili officio, seu ex Officio Judicis, ad quod tamen requiritur gravis, & publica aliqua causa redundans in bonum commune.

SERVITUS *in jure* duplicem, habet significationem. *imo* sumitur pro qualitate Personali, qua inducitur privatio libertatis, estque hujusmodi servitus, constitutio Juris gentium. *2do*, accipitur pro *jure* vi cujus libertas Domino in re sua competens minuitur, ita; ut in commodum nostrum aliquid in suo pati, vel non facere teneatur. Et haec est inducta jure Civili.

SERVITUTES *Prædiorum Rusticorum* dicuntur, quarum usus est duntaxat in rebus rusticis, cujus modi sunt, iter, actus, via, aquae ductus, pecoris ad aquam appulsus, pecoris pascendi &c.

SERVITUTES *Prædiorum Urbanorum* vocantur, quarum usus est solum in ædificiis,

H3

sive

sive ea in urbe, sive in agro sint, v.g. altius tollendi, & officendi luminibus vicini, stillicidium avertendi in tectum, vel in aream vicini, aut non avertendi, &c. vide *Prædiū Urbanum*.

SEXAGENA, vulgo *kopa*, idest *Groszy szóstdziesiąt*, olim latorum grossorum Argentearum moneta, & numeri Polonice in Anno 1250. reducta ad præsens valet flor: Pol: 405. Jam verò *sexagena* una latorum Grossorum Aureorum, similiter de Anno 1250. ad præsens reducta facit summam floren: Polon: 4860. — Item *Jedna kopa Praskich groszy pospolitych* Venceslai II. valet floren: 64. A zaś *Joannis primi*, valet flor: 60, ktore były circa Annum 1345. Późniejszy zaś *Praskich groszy pospolite kopa*, tylko wart Zlotych 56. *Ex Lib: Summariusz &c.* — Item *sexagena* circa Annū 1496. valet pronunc flor: 36. *Sexagena* circa Annū 1505. valet: flor: 33. Gros: 29. cum medio. *Sexagena* circa Annum 1550. valet flor: 20. gross: 23. *Sexagena* circa Annū 1620 valet flor: 9. Et circa Annū 1676. valet flor: 3. Jam verò hodie florenos 2. vulgo *szóst-dziesiąt groszy*. Adducitur hinc iudicatur

Consistor: Crac: in Anno 1676. die 24. *Januar:* quo mediante *sexagena lata & Marca*, reducta fuit in florenos 21. Item *Zalaszov: fol: 670.* ostendit *sexagenam latam* vale re florenos *viginti octo*. Reliqua passim apud alios, vide *Marca* sub litera M.

SOCIETAS dicitur contractus duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriam, laborem vel aliam rem pretio æstimabilem, ad lucrum commune. Quæ ut sit licita requiritur.

1mo. Quod fundetur in negotiatione licita.

2do. Quod socii conferant aliquid in commune, sive pecuniam, sive laborem, sive industriam.

3tio. Ut servetur æqualitas inter socios, ut lucrum, expensæ, & damna sint communia.

4to. Ut fors collata in societatem subiaceat periculo conferentis.

5to. Ut serventur à sociis pacta. Jam verò ubi unus confert industriam & operas suas, alter pecunias, si huiusmodi societas dissolvatur, pecuniæ non sunt dividendæ inter socios, & tali casu damnum collatæ pecuniæ ad conferentem spectat.

SORTILEGIUM significat divinationes per sortes, superstitiones, vanas observantias, & omnem magiam.

SUBGRUNDIA vocatur pars tecti ultra structuram ædium projecta, & præminens.

SUBHASTATIO vocatur rei venalis, vel locandæ publicæ expositio, cum præconis edicto, aut proclamatione, plus licitanti deliberandæ.

SUBREPTIO, vide *Obreptio* sub litera O.

SUCCESSIO in capita, vocatur tunc, cum quis succedit immediatè ex persona propria, ut *vg. Filius Patri &c. In stirpes* verò vocatur tunc, cum quis succedit mediatè ex Persona alterius, ita Nepotes succedunt Avvo, ex Persona Eorum Patris, ita; ut idem ipsum debeatur Nepotibus, quod Pater eorū accepisset.

SUCCESSIO Ascendentium de jure Civili, olim tunc erat, quando Pater in successione Filii ab intestato præferebatur Matri: sed hujusmodi successione in Regno, non est hodie usus.

SUCCESSIO Descendentium est, quod liberi hoc est Filii, & filix ex legitimo Matrimonio procreata succedunt Parentibus,

suis in Bonis Eorum æqualiter sive jam sine nati, sive posthumi, hoc est nascituri, nam & hi pro natis habentur: Item Legitimati per subsequens Matrimonium, etiam in articulo mortis contractum. De jure verò Regni Filix extantibus fratribus à successione Paterna excluduntur, & debent esse contentæ dote sibi competente. Si autem Filii non extant, sed solæ Filix, tunc illis omnes Possessiones Paternæ cedunt. *Ita Vlad: Jag: Rex Anno Domini 1423. ut refert Herburty, & Casim: Magnus Anno 1368. ibidem.* In Bonis autē Maternis æqualiter succedunt cum Fratribus. *Idem ibidem.*

SUCCESSIO Collateralium ab utrinque conjunctorum: de jure Civili hæc est. Non extantibus Descendentibus, & Ascendentibus. Primo loco Fratres & Sorores utrinque conjuncti, vel conjunctæ, vocantur æqualiter ad successionem Defuncti Fratris, vel Sororis, idq; in Capita, exclusis aliis collateralibus, remotioribus, utpote Fratribus, & Sororibus ex uno tantum latere conjunctis. Jam verò Filii prædefuncti Fratris utrinque conjuncti succedunt cum Fratribus & Sororibus Defuncti, utrinque conjunctis, idque in

stirpes, hoc est Filii Fratris demortui, quot cumq; fuerint accipient partem, quam Pater eorum si viveret accepisset. Vel si v.g. unus ex Fratribus utrinq; conjunctis moriatur, & post se relinquat unum, vel plures Fratres utrinque conjunctos, ex uno quoq; Fratre, utrinq; conjuncto Filios, tunc cum Fratribus illius Defuncti, Filii Fratris demortui in stirpes succedunt. = Quod si verò defunctus reliquit Filium ex Fratre utrinque conjuncto, & Patrum, hoc est Fratrem sui Patris, vel Amitam, aut Avunculum, aut alias similes Personas, tunc ex dispositione Juris Civilis, Filius Fratris excludit à successione Defuncti Patrum, & similes Personas.

SUCCESSIO utrinq; conjunctorum cum cōjunctis ex uno latere. De jure Civili habetur eadem nempe, quod si Fratres, vel Sorores utrinque cōjuncti, vel conjunctæ cum Fratribus & Sororibus, ex uno tantum latere conjunctis, v.g. Fratres Consanguinei, vel uterini extant, tunc soli Fratres ex utroque latere conjuncti succedunt, exclusis Fratribus & Sororibus ex uno tantum latere conjunctis. Item si in successione cōcurrant Filii Fratrum utrinq; conjunctorū, & Fratres

ex

ex uno tantum latere, tunc Filii Fratrum utrinq; conjunctorum, Fratres uterinos, & consanguineos à successione excludunt.

SUCCESSIO Fratrum ex uno tantum latere conjunctorum. tunc servatur de jure Civili, quando v.g. non extant Fratres utrinq; conjuncti, vel eorum liberi, sed soli Fratres ex uno latere conjuncti, in tali casu Fratres ex uno latere conjuncti æqualiter succedunt defuncto. Quod si extant Fratres ex uno tantum latere, & ex aliis Fratribus, etiam ex uno tantum latere conjunctis, tunc liberi Fratrum uterinorum, vel consanguineorum tantum admittuntur, cum Fratribus ex uno latere conjunctis idq; in stirpes. Ast verò si Defunctus reliquit Fratres ex uno tantum latere conjunctos, vel eorum Filios, & suum Patrum, vel Amitam, vel Avunculum &c. tunc Fratres ex uno latere conjuncti, & eorum Filii excludunt Patrum, & similes Personas.

Porro Regula Generalis est, si defunctus neq; Fratres, neq; Sorores utrinq;, vel ex uno latere tantum conjunctos, vel conjunctas relinquat, neq; eorum liberos, sed solum alios collaterales, In tali casu hi omnes

se

secundum prerogativam in capita succedūt, alias tam Masculi, quam Fæminæ.

SCIENDUM Fratres de jure in *zplici* reponuntur differentia, alii vocantur *Germani*, qui scilicet ex uno eodemq; Patre, & Matre nati sunt, aliter dicuntur *ex utroq; latere conjuncti*. Alii dicuntur *Consanguinei*, id est, qui unius ejusdemq; sunt Patris, sed diversæ Matris. Alii dicuntur *Uterini*, qui unius Ejusdemq; sunt Matris, sed diversi Patris, & hi vocantur *ex uno latere conjuncti*. Quod idem intellige de Sororibus.

SUI JURIS ille dicitur, qui neq; sub Patria, neq; sub Dominorum Potestate existit.

SUPELLEX, vocatur domesticum Patrisfamilias Instrumentum, & omnis res, quæ ad ornatum ædium, & usum communem familiæ est parata, non tamen argentum, aurum, aut vestis.

SCARTABELLI vocantur juxta Scriptores Regni, qui nati Nobiles Bonis divenditis in Civitatem transeunt, & victum ibi quærunt.

SCRUTINIUM dicitur *Examen*, seu inquisitio super re certa expedita.

SPOLIUM *in jure*, seu *spoliatus*, tunc vocatur, quando quis vi, vel etiam injustè dejectus est de Possessione rerum suarum. Is

habet hoc Beneficium, ut spoliatus ante omnia sit restituendus: at proinde spoliator non est audiendus ante factam spoliati restitutionem, etiamsi opponat rei ablatæ proprietatem ad se pertinere, seque offerat ad hanc illicè probandam. Dantur tamen aliqui casus in jure, in quibus non fit restitutio spoliati ante omnia; ut *vg. Primus est* consensus ipsius spoliati, etiam tacitus, id est permittendo super petitorio cognosci, aut petitorium cumulari cum possessorio sine protestatione in contrarium. *Secundus est*, quando notorium est spoliato in fundo, quo fuit spoliatus, nullum proprietatis jus competere, si etiam constet proprietatem, vel dominium rei spoliatæ spectare ad spoliatorem, *vg. ex Actis, Judicis Sententia, aut spoliati confessione. Tertius*, quando contra spoliatum adest resistentia juris, aut spoliato jus resistit, & assistit spoliatori, quia tunc spoliatus non restituitur, nisi priùs docuerit de jure suo, aut de titulo. *Limitatur* hoc tamen si jus commune resistat quidem spoliato, sed non assistat spoliatori, quia tunc spoliatus esset restituendus ante omnia. *Quartus est*, si imminet periculum animæ,

si spoliatus, restituatur, si probationes ab illo in continenti afferantur. Hinc vg. Uxor discedens à Marito sua voluntate, & malitiâ ob prætenfum impedimentum dirimens, oblatiis probationibûs in continenti paratis; restituitur quò ad cohabitationem tantum, & non quò ad thorum, donec cognoscatur super impedimento dirimente. Quia hoc stante Uxor non posset restitui, quò ad thorum sine animæ detrimento. *Quintus*, si ex restitutione spoliati imminet publicum scandalum, vel si ex facta restitutione sequeretur damnum irreparabile, exemplum hujusmodi potest esse in Muliere, quæ à Marito ob sævitiem discessit, quæ non est restituenda, licet alias esset restituenda, ob damnum irreparabile, quod in vita, aut in membris pati posset. *Sextus*, si spoliatus ante spoliationem renuntiavit Dominio rei spoliatae sponte & liberè, cum per talem resignationem fuit remissum omne jus, tam quò ad possessionem, quam quò ad proprietatem.

SPONSA duorum, significat in jure Polygamiam simultaneam, quando scilicet: Matrimonium cum duabus, aut duobus simul contractum esset, sive Vir habeat duas Uxo-

res,

res, sive Uxor duos Maritos, quod tamen omni jure prohibitum est.

SPONSALITIA Largitas, vocatur munus sponsalitiium, quod Sponsi mutue benevolentie gratiâ sibi invicem donant, ob spem futuri matrimonii.

SPONSALIA de futuro, sunt promissio, & repromissio futuri matrimonii, vg. ducam te in Uxorem. *Sponsalia de presenti*, sunt promissio, & repromissio de presenti facta, vg. accipio te in Uxorem meam, & talia Sponsalia de jure Canonico, olim pro rato Matrimonio habebantur ita, ut mutuo dissensu amplius non potuerint dissolvi. Verum hodie *jux: Concil: Trid: sess: 24. de reform: cap: 1.* nullum Matrimonium sine presentia Parochi, & testium contrahi potest, nec datur amplius Sponsalia de presenti, nisi Matrimonium ratum talia nuncupare velis.

STELLIONATUS à Jure consultis vocatur fraus omnis atq; impostura, quæ in proprium delicti nomen non cadit. Hinc ubi deficit specialis titulus criminis, si tamen adsit dolus, & læsio alterius, vocatur *stellionatus*. Ut vg. si quis jubeat aliquem incercerari, prætextu licentiae Judicis quæ non est

da

data, tenetur p̄nā *stellionatus*, vel si quis
asserat se creditorem cum non sit, & pecu-
niam alterius recipiat. Sic & de aliis.

STIPES vocatur illa Persona, à qua reli-
quæ de quarum cognatione quæritur, descen-
dunt, & in qua tanquam prima, & una radi-
ce conveniunt, vg. si de duorum Fratrum
filiis quærat, quis sit illorum stipēs? Eorū
stipēs erit *Avus*, non autem unus ex Fratri-
bus, quilibet enim genuit suum, non verò
alterius Fratris Filium. Ex *Avo* ergo ambo-
rum Fratrum Filii, mediatè tanquam ex ra-
dice descendunt.

STIPULATIO tunc vocatur, quando unus
interrogat, vg. *promittisne mihi dare centū?*
Jam verò alter respondeat, *promitto*. Hinc
non dicetur *stipulatio*, si dicam ad Cajum,
promittisne Titio dare centum, & ille re-
spondeat *promitto*. De essentia enim illi-
us est, ut quis sibi, non alteri stipuletur.

SYNGRAPHIA dicitur illa scriptura, seu
schedula, quæ in alicujus rei fidem fit plu-
ribus, & utriq; parti tradi solet, seu quæ fit,
propria manu contrahentium, ad pactorum
fidem.

T.

T.

TALIO, seu p̄nā *Talionis* dicitur, quæ
importat obligationem ad eandem p̄nam,
qua puniendus esset accusatus, si eidem de-
lictum obiectum probaretur. Juxta alios ve-
rò p̄nā *talionis*, significat parem vindictā,
seu similitudinem supplicii. Et certè hæc Ta-
lionis p̄nā fundata est in jure Civili & Ca-
nonico, estq; admodum iusta, & rationabi-
lis, juxta illa vulgata carmina.

. . . . Nec lex justior ulla
Quàm necis artifices, arte perire sua

Judice me, fraus est concessa repellere
fraudem

Armaq; in armatos sumere jura sinunt,
Fallere fallentem, fraudemq; repellere
fraude,

Discat in auctorem, p̄nā redire suum.

TEMERE *litigans* dicitur ille, qui non ha-
bet probabilem litigandi causam, talis de
jure habet annexam p̄nam pecuniariam,
sed hæc ab usu recessit, hodie condemnari
debet in litis expensis, vel p̄nā Infamiz
notari.

I

Tē

TEMERA *vexa*, vide *Indebita vexa*, sub litera I.

TEMPUS *Breve vocatur*, quod est infra, vel supra triennium, seu minus decenniò, hoc modo plerumq; res mobiles præscribuntur.

TEMPUS *Decendii*, seu decem dierum, ad appellandum de jure concessum, currit de momento in momentum, ab hora latæ sententiæ.

TEMPUS *legitimum*, exercendorum Judiciorum spiritualium, appellantur dies juridici, & dicuntur *Prima Juris*. 2da *Juris*, octava, *Quindena*. Dies autem legitimi, quibus Judicia ordinariè peragi solent, sunt: Dies Lunæ, Dies Mercurii, Dies Veneris.

TEMPUS *longum*, in jure Civili, vocatur decennium.

TEMPUS *longissimum*, habetur in jure, v.g. annorum 30. & ultra, quo Bona privatorum immobilia præscribuntur. Item eodem spatio omnes Actiones Civiles, tam reales, quàm Personales tolli dicuntur.

TERGIVERSATIO in jure, vocatur tunc, quando post litem contestatam, quis, ab accusatione publici criminis prorsus desistit.

TERMINUS *comparendi* coram Judicio assignari necessario debet in citatione, juxta loci, temporis, distantia, & aliarum circumstantiarum exigentiam, v.g. Dies una, vel plures, item quinque, sex; triginta, pro arbitrio Judicis.

TERMINUS *facionatus*, vocatur in Judicio Castrensi, pro rebus furtò ablati.

TERMINUS *motus*, seu inotio Termini, vocatur tunc, quando quis terminos finitum, seu granicierum causâ positos, dolosè propulit, avulsit, ejecit.

TERMINUS *tactus* in Regno Poloniae vulgo dicitur ob excessum recentem in Comitibus Generalibus, vel in Judiciis Regni publicis, v.g. Tribunalis Regni &c.

TESTAMENTUM dicitur, juxta sententia voluntatis nostræ, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, Et hoc *scriptum* vocatur, quod fit in scriptura, subscriptione & subsignatione Testium. *Nuncupativum* vocatur, quod adminiculò vivæ vocis perficitur. De solemnitate autem Testamenti est, ut adhibeantur septem Testes, qui Testatorem non solum audire, sed & videre valeant. *Testamentum* verò ad pias causas, ita

est privilegiatum, ut quamvis requisitis de jure solemnitatibus careat, dum modo aliunde sufficienter constat de Testatoris voluntate, in quovis Foro subsistat, & valeat.

TESTES ad perhibendum de re aliqua dubia testimonium, vocantur de jure triplicis ordinis: scilicet, alii omnino inhabiles, alii inhabiles respectu certarum causarum, alii denique inhabiles, respectu certarum Personarum. *Omnino inhabiles*, sunt servi, Monachi, Impuberes, infames, damnati publico judiciō, convicti de aliquo crimine, pauperes, mendici, ex quo in illis periculum sit corruptionis, & his similes. *Inhabiles respectu certarum causarum*, Clerici, & Religiosi in causa sanguinis contra Reum coram Judice Laico, Laicus contra Clericum in causa criminali criminaliter intentata, secus si solum de damno refarciendo res agatur. In eadem causa minores sunt inhabiles, item Fæminæ in causa criminali, nemo denique in propria causa. *Inhabiles respectu certarum Personarum sunt*. Inimicus capitalis contra inimicum, Vasallus contra Dominum, Judæi, Pagani, Hæretici, contra Orthodoxos, advocati contra suos Clientes, Tutores

con-

contra Pupillos, Conjux contra Conjugem, Parentes contra Filios, & è contra.

TITULUS *coloratus*, vocatur in jure, qui speciem veri tituli præferret, vim tamen ac potestatem ejus non obtinet. Talem habet v.g. ille, qui rem à non Domino, quem Dominum tamen credidit, accepit, vel emit.

TORNEAMENTA dicuntur, quibus Equis infidentes ad virium animositatisque ostensionem cōgrediuntur. Hæc nihilominus prohibita sunt, tam de jure Civili, quàm Canonico.

TREUGA idem in jure vocatur, quod armistitium, seu induciæ, diciturque cessatio ab armis ad tempus.

TUTELA est vis, ac potestas in capite libero ad tuendum Eum, qui per ætatem se defendere nequit. Hæc alia vocatur *Testamentaria*, quæ immediatè à Testamento dimanat. Alia *Legitima*, quæ immediatè à Lege profluit, alia *Dativa*, quam Magistratus Tutore Testamentario, & Legitimo deficiente vi suæ jurisdictionis defert. Hinc quoque Tutores alii *Testamentarii*, alii *Legitimi*, alii denique *Dativi* dicuntur.

TRANSACTIO accipitur pro omni actu,

quo à lite receditur, & negotium aliquod inter quosdam componitur, sive id fiat litis componendæ causâ, sive non. Quæ tamen non valet tunc, si sententia super re aliqua lata sit, transactio tamen non minorē vim habet, quàm res iudicata. Differt tamen ab amicabili compositione, per quam non nisi gratis, & amicabiliter à lite receditur.

TRANSUMPTUM vocatur Extractus ex Originali Instrumento, aliter *Copia, Exemplar.*

V.

VACARE *Beneficia*, ipso jure dicuntur plurimīs modis, inter quos referuntur illi, qui sunt usitatiores. Scilicet: per obitum, seu mortem naturalem Beneficiati. Per Resignationem, per assecutionem alterius Beneficii incompatibilis, per ingressum Religionis professione secuta, per militiam sæcularem à Clerico assumptam Beneficiato, per non promotionem ad Sacerdotium intra annum vacat ipso jure Ecclesia Parochialis, per privationem Beneficii ex sententia Judicis, vel ob complura crimina atrociora, vg. ob cri-

men

men Simonix, hæresis &c. reliquos modos hujus vacantix, vide apud Authores.

VACARE dicuntur Beneficia apud *Sedem Apostolicam* tunc, quando vacant per verū obitum Beneficiati contingentem, vel in ipsa Curia Romana, vel saltim inter duas dietas. *Dieta* hoc loco intelligitur, iter unius diei computando viginti quatuor milliaria Italica pro die, proinde duæ dietæ 40, vel ultra milliaria Italica constituunt.

Vacare verò in *Curia*, non solum intelliguntur Beneficia per verum obitum vacantia apud Sedem Apostolicam, sed etiam illa, quæ vg. fictione juris vacare dicuntur, vg. per renuntiationem à Papa, vel Ejus autoritate admissam, per depositionem, privationem, vel translationem &c.

VADIUM *Capitaneale*, continet in se 120. Marcas Polonicales, seu florenos Polonicales 120. *Marca* verò juxta communē usum modernum, capit grossos quadraginta octo

VADIMONIUM est sponsio die certo se in Judicio, vel per se, vel per advocatum futurum.

VAGABUNDI dicuntur illi, qui nullibi certam, & stabilem sedem, aut domicilium ha-

14

bent,

bent, sed hinc inde vagantur. Tales ubi reperiuntur, ibi forum fortiuntur, idq; vel ratione delicti à se perpetrati, vel contractûs.

VALOR Monetæ, est ipsa bonitas pecuniæ, quæ mutari dicitur 2plicitè: *imo*, dicitur mutari *intrinsecè*. Et quidem tunc, quâdo vg. cuditur de Moneta viliori, vel pretiosiori, quàm antea; vel si sit eadem materia, pondus tamen variatum, vg. Si Aurei, qui olim ex puro Auro cudebantur, postea ex minis puro auro excutiantur, & excudantur, vel taleri, qui olim puri argenti erant, postea ex argento ære admixto excudantur. *Extrinfecè* verò Moneta mutari dicitur, quoties extrinsecus valor ipsius immutatur, sic vg. si Aureus Hungaricalis, qui sub Joanne Alberto Rege Poloniae triginta tantum grossis constabat, pro grossis postea septuaginta, postea sex florenis, nunc pro florenis decem, vel aliter computetur. *Nota Lipski in semicent: observat: 46. n. 2.* Hinc cum *Eodem* addi placuit: quòd: quantum monetæ mutationem intrinsecam attinet, debitorem qui vg. Aureum non ex puro auro, pro auro ex puro auro confecto reddidit; creditori satisfecisse juris ratio dicitur.

Tan.

Tanti enim hic, qui non ex tam puro auro confectus publica lege probatus, quanti olim ille ex puro auro fuit, tantum deniq; pro tali auro, qui nunc vulgaris est mercium comparabitur, quantum olim pro illo ex puro auro casso dabatur, nisi in contractu aliter exprimatur. Quantum verò ad valoris extrinseci mutationem; secus se res habere debet, nam qui olim (puta temporibus antiquiorum Regum) aureum mutuo dabat, aut accipiebat, non tam speciè ipsam nummi, quàm valorem nempe triginta, vel plures grossos credere, vel debere intelligebatur. Ac proinde, sive pretium, sive valor nummorum decreverit, sive accreverit, semper tamen ejus temporis; quo contractum, aut creditum est, in valore nummorum, ratio habenda est, in tantum, ut debitor illud, quod decrevit, supplere creditori, sicut & quod accrevit, detrahere teneatur, *ita Lipski l. f. c. & Zalassov: pag: 667.*

VASALLUS, seu Feudatarius vocatur ille, qui rem in Feudum accipit. Ille verò, qui rem in Feudum concedit, dicitur Dominus directus, Dominus Feudi. res autem, quæ conceditur, dicitur res Feudalis, & simpliciter *Feudum*.

15

VE.

VENATIO, *Et Aucupium*, de jure naturali, & Gentium licita est, non solum in proprio, sed etiam in alieno fundo. De jure tamen Civili, Dominus fundi potest prohibere, ne aliquis fundum suum ingrediatur. De jure vero Regni cautum est, ne quis à Festo S. Adalberti, ad collectionem omnium fructuum hyemalium, & æstivalium de campis, in fundo alterius venari præsumat, sub pœna ibidem de jure præscripta, *ita Herbert: in Statut. Regn.*

VIA *facti*, intelligitur tunc, quando quis Juris ordine non servato, ipso facto alium impetit, vel offendit.

VIA *Juris*, idest, quando servato Juris processu; aliquis convenit aliquem.

VINDICATIO rei, dicitur actio realis, qua quis certæ rei Dominum se declarari, & rem sibi restitui petit.

Vis *publica* est, quæ armis infertur, hanc inferunt grassatores, seditiosi, insidiantes cum latrocinio.

Vis *privata* dicitur, quæ fit sine armis, ut si quis aliquem sine armis de agro suo deiciat, vel de domo expellat.

VISITATIO nihil aliud est, quam defectus

ctus, & excessus inquirere, inventosque castigare, & convenientibus remediis emendare, ac observantiam obligationum, juxta cujusvis Personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget conservare, & ubi deficit in pristinum restituere. Ad hanc vero visitationem expediendam tenentur Locorum Ordinarii de jure singulis annis, vel si fieri nequit, saltem quolibet biennio per totam Diœcesim, & Ecclesias ejusdem. Sub actum vero hujusmodi visitationis cadere debent, non solum communes Ecclesiæ Diœcesis, sed etiam Cathedrales Capitula, & Personæ in his reperibiles, item Monasteria non exempta, cæterum quod ad punctum clausuræ, potest Episcopus visitare quarumvis Monialium Monasteria cuicumque subjecta.

VOLUNTAS *ultima* idem sonat, quod Testamentum.

Vox *Activa, Et Passiva*. Prior est, illorum qui possunt eligere, idest illi soli, qui sunt membra, illius Collegii, vel Communitatis, vel Quibus jus competit eligendi. *Posterior* est illorum, qui possunt eligi, quos tamen jus minime prohibet esse eligibiles. Si quis autem in jure simpliciter voce privetur, id

folùm de *Activa*, quæ propriè vox est intel-
ligitur.

USUCAPIO idem *Præscriptio*. Differunt
tamen; cùm *Præscriptio* fit rerum Immo-
bilium, & jurium incorporalium. *Usucapio*
autem rerum mobilium.

USUS fructus vocatur, jus alienis rebûs,
utendi, fruendi, salva earum substantia;
qui à proprietate pòtèst separari, ita; ut pe-
nes unum sit usus, & penes alterum propri-
etas. Hic tamen usus fructus constitui so-
let, non tantùm in fundo, ædibus, verùm
etiam servis, jumentis, & cæteris rebus, ex
quibus aliqua utilitas percipi potest. Hinc
Usufructuarius vocatur, qui prædictis rebûs
utitur, & fruitur.

USURA est lucrum ex mutuo proveniens,
sub nomine verò lucri intelligitur quodli-
bet temporale, seu pretiò æstimabile, quod
ultra sortem mutuò datam accipitur, sive
illud sit pecunia, sive frumentum, sive alia
res æstimabilis. Et licèt à Jure Civili solùm
permittantur *Usuræ Compensativæ*, (idest
moderatæ ratione lucri cessantis, aut damni
emergentis, aut alterius justî tituli) *Usuræ*
tamen *lucratoria*, seu *Usuræ Usurarum*, om-

mni

ni jure sunt prohibita. Dicuntur verò *U-
suræ Usurarum*, tunc, quando quis v.g. 1000.
flor: per 50. annuatim solvendos in mutu-
um dat, & tandem de istis 50. florenis debi-
to tempore non solutis, ceu summa Capita-
li, præter priorem novas *Usuras*, v.g. 2. flo-
renos annuatim exigit.

ULTIMUS Status in Beneficialibus de ju-
re est attendendus tam circa Juspatronatus,
quàm manutentionem, & quidem maximè
si ultimus status habeat pro se juris assisten-
tiam, hic autem non acquiritur unico actu
tunc, quando nempe actus ille fuit ad-
missus cum clausula — sine præjudicio, —
quia hæc præservat jus, tam in petitorio,
quàm in possessorio, neq; etiam ex unico ac-
tu conditionali, neq; quando constat de vi
olentia, & mala fide possidentis, aut deniq; si
constet de actu contrario anteriore. Atten-
ditur verò semper ultimus status, quando
per probationes perfectas, non constat de
præmissis actibus contrariis, qui etiam at-
tendi debet inter plures præsentatos de in-
stitutione contendentes, tum ad effectum
includendæ, vel excludendæ reservationis,
præsertim quando ultimò locò provisus pos-
se-

Sedit Beneficium per 30, vel 40. annos. Ultimius hic status, quasi possessionis præsentandi sufficit, ut præsentato sit adjudicandū Beneficium, quatenus etiam status anterior esset difformis in aliquo, & varius.

X.

XENIA in jure non veniunt appellatione *Doni*, vel *Muneris*. Nam *Xenium* vi nominis, significat munus hospitalitatis, & consistit in esculentis, & poculentis, ac pro in non importat lucrū. E contra verò *Donum*, ac *Munus*, ad quantamcūq; largitionem se se extendunt, & ad lucrum pertinet. Hinc merito à Judice recipi prohibentur *Dona*, & *Munera*, non item *Xenia*, utpote ex mera liberalitate oblata. *De his & aliis plura apud Jur. Consultos Authores.*



APPENDIX AXIOMATUM UTRIUSQUE JURIS.

A.

Absolvere nocentem sanctius est, quàm condemnare innocentē. l. *Absentem ff. De Pœnis.*

Absurdum nimis est, ut quis cum vanitate & imperitia ad honorem ascendat. *Clement: Cum sit: de Magistr.*

Accessorium corrumpit sublatō principalī. l. *Qui liberis. ff. De vulg: & pupil: substit.*

Actio semel extincta non reviviscit amplius. l. *Si unus § Sed si pactum ff. de Pactis.*

Actor debet sequi forum Rei. l. *In Criminali. C. de Jurisdic: omn: Jud.*

A dignioribus est inchoandum. § *fin. Instit: De Jur: nat.*

Ad Dignitates requiruntur qualitates scientiæ & morum. l. 14. § 3. ff. *De Munerib: & Honorib.*

Advocati militibus æquiparantur, nam per eos quasi per milites vita, spes, & Patri-

trimonia hominum periclitantium defen-
duntur. l. *Advocati* 14. C. *De Advocat: di-*
vers: Judic.

Affectus non punitur, nisi sequatur effe-
ctus. l. *Cogitationis*. ff. *De Pœnis*.

Afflicto non est addenda afflictio. c. *Ex*
parte. *De Cleric: ægrot.*

Aliena negotia exactio officio geri debet,
nec quidquam in eorū administratione ne-
glectum, ac declinatum culpā vacuum est.
l. 21. C. *Mandati*.

Ambulatoria est voluntas hominis ad vi-
tæ supremum exitum. l. *Quod si*. ff. *De Adi-*
mendis leg.

Anima hominis omnibus rebus præstan-
tior. l. 17. ff. *De Sacrosan: Eccles.*

Animus Hominis dignoscitur ex iis, quæ
antea, vel post gesta fuerunt. gloss: in l. *Sed*
si. § *penult*: ff. *ad S. C. Macedon.*

Apud DEUM non est acceptio Personarū.
c. *penult*: *De Præbend: Et Dignit.*

Artes liberales diligenter docendæ. *Can:*
De quibusdam. 12. *Dist: 37.*

Arma magis, quam jura miles scire de-
bet. l. *Sancimus in princ: C. De jure delibe-*
rând.

Ars imitatur naturam. §. *Minorem*. *Instit:*
De Adoptionibus.

Augmentum honoris non ambitione, sed
labore unicuique contingit. l. *Sancimus C. ad*
Leg: Jul: repetend.

Avaritia, est mater omnium malorum.
Authent: ut Judices sine quoquo suffrag: §
fin: col: 2.

Æ.

Æquitas præferenda rigori. gloss: in c. *fin*
De Transact.

Æquum est, ut cujus quis participat lu-
crum, participet & damnum. l. 55. ff. *Pro*
Socio.

B.

Bene universa geruntur, si principium
fiat decens, & amabile Deo. *princ: Novel: 6.*

Bene merentibus præmia tribui oportet.
l. *Et virtutum præmia*. C. *De Statuis Et I-*
magin.

Beneficia Principum latissimè sunt inter-
pretanda. l. 3. ff. *de Constit: Princip.*

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. *l. Bona fides. ff. Depositi.*

Bonum publicum & Commune, præferendum est privato. *§. Oportet. in Authent. De non alien. Et permut. Col. 2.*

Boni mores prævalent divitiis. *l. Scire oportet. §. cum reliquis. ff. De Tat. Et Curat.*

C.

Charitas, quæ desereri potest, nunquã vera fuit. *Can. 2. Dist. 2. De Pœnit.*

Charitas primò incipit à se ipso. *l. Præses. C. De servit. Et aqua Et c.*

Cessante labore; cessat & præmiũ. *Arg. l. 10. ff. De Ann. Et Mens. Legat.*

Christus, qui peccatum non fecit, pro nobis tamen peccatum tulit. *Can. Si enim. §. Eligat. Et ibi gloss. v. peccatum, Dist. 2. De Pœnit.*

Christum manducare est refici, illum bibere est vivere. *Can. Qui manducant. Dist. 2. De consecr.*

Civilis sapientia res est sanctissima, sed quæ pretiò nummariò non æstimanda, nec dehonestanda. *l. 1. §. 5. de Extraordin. Cognition.*

Con-

Conditionis suæ quisque debet esse memor. *l. Quidam. ff. De Condit. Instit.*

Conscientia nobis, & fama proximo est necessaria. *arg. Can. Non sunt audiendi. 11. q. 3.*

Cor Regis in manu Dei est. *l. Inter Claras. C. De summa Trinit. Et Fide Cath.*

Cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum. *Can. Cui portio. 12. q. 1.*

Cultus Divinus non minui, sed augeri debet. *c. Ex parte. De constitut.*

Cui plus dimittitur, plus diligit. *Can. Septies. 33. De Pœnit. Dist. 3.*

Culpam incidisse naturæ est, delesse virtutis. *Can. Ille Rex. dist. 3. de Pœnit.*

Culpa suos debet tenere Authores. *l. Sancimus. C. de Pœnis.*

Cupiditas omnium malorum radix. *Can. Bonorum. Dist. 47.*

Crimina tantò sunt graviora, quantò diutius durant. *c. ult. de Consvet.*

D.

DEUS est solus scrutator cordium. *c. Novit. De Judic.*

K2

D8

DEUS non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. *l. Imperialis. C. de Nuptiis.*

DEI Potestas est in omnes quasvis potestates. *Can: Quæ contra. Distin: 8.*

DEUM imitatur, qui ignoscit. *gloss: in l. 23. C. de Nuptiis.*

Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malò sunt inchoata principiò. *Can: Miramur. Dist: 61.*

Discendi cupiditas sola vivendi ratio optima. *l. 20. ff. De fidei commiss: Libert.*

Dignum majus trahit ad se minus dignum. *l. quæ religiosis ff. De rei vindicat.*

Dignitas & Fama, custodiri debent. *l. 1. ff. De vent: inspi.*

Dignus est mercenarius mercede sua. *l. si Pater. ff. De Dol: Et l. metum §. Sed licet. ff. Quod met: caus.*

Dignioribus debetur locus dignior. *Can: 19. Dist: 63.*

Doctoratus est dignitas. *gloss: in c. Quanto. De Magistris.*

Doctor debet se ingeniis discentium accommodare. *Can: Oportet. 8. q. 1.*

Domus sua unicuique debet esse tutissimam

re.

receptaculum. *l. Plerique ff. De in Jus vocand.*

Duobus Dominis nemo servire potest. *Can: Tolle. 33. De Pœnit: Dist: 1.*

E.

Est satis durum amittere, quod semel possessum. *l. pen: §. 1. C. De usufri: Et habit.*

Eleemosyna cordis melior est, quam eleemosyna pecuniæ. *Can: Duæ sunt. Dist: 45.*

Exempla majorum, sunt præcepta minorum. *Can: Qualis. 8. q. 1.*

Ex duobus malis, minus est eligendum. *Can: Duo. Dist: 13. Et Can: non solum 23. q. 3.*

Ex officio suo, & administratione quilibet rationem dare tenetur. *Authem: de sanctiss: Episcop: §. Oeconomus Et c.*

Expensæ sunt faciendæ secundum Personam, & facultates. *l. Cum plures ff. de ministr. Tut.*

Expedit, & honestum est unicuique Domum suam habere convenienter pulchram. *l. Si quis. C. De ædific: priv.*

Exitus acta probat. *l. Quædam. ff. de re dub: Et l. rem novam §. fin: C. de Judic.*

Exempla Majorum imitanda sunt. *l. A-*

K3

pu

F.

Facta sunt verbis potiora. l. De pupillo. §. meminisse. ff. De novi operis nuntiat.

Facilitas veniæ ipcentiyum tribuit delinquendi. Can: Est justa. 23. q. 4.

Facilitate peccantium nihil infelicius. Can: Paratus 23. q. 1.

Fama communis probationem adjuvat. l. 3. §. Tu magis ff. de Testamen.

Fas est laborem digna remuneratione compensari. c. Cum secundum De Præbend. & Dignit. & l. fin: §. Similiter C. de Alluvionib.

Filius non debet portare iniquitatem Patris. l. Si pæna. ff. De Pænis.

Filius, qui non corripitur, non amatur. Can: Non putes 23. q. 5.

Fortitudo, qua defenditur Patria, vel infirmi, aut socii à latronibus, est plena iustitiæ. Can: Fortitudo 23. qu. 3.

Fraus, & dolus nemini patrocinari debent. c. Ex tenore 16. de Rescript.

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

151
I. Eum qui §. 1. ff. De inoffic: Testam.

Frustra sit per plura, quod potest fieri per pauciora. l. Generaliter. C. De instit: sub cond: fac, & §. 1. Instit: de Leg.

G.

Gradatim sunt honores acquirendi. l. Ut gradatim. De muneribus, & honoribus.

Gratia si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est. Can: Gratia 1. qu. 11.

Gratis accepistis, gratis date. l. Nulli §. 2. C. De Episc: & Cleric.

Gratiarum actio est agenda. Clement: Dudum §. Etsi idem. De sepultur.

Gravius est æternam, quàm temporalem offendere Majestatem. gloss: in c. Vergentis. De Hæretic.

Grave est fidem fallere. l. 1. ff. de constit: pecun.

Glorians de malis est miserrimus. Can: Nihil illo. Dist: 83.

H.

Hoc facias aliis, quod tibi vis fieri. l. 1. ff. De Solutionib.

Homines moribus non fortunâ æstimari
ei sunt. *§. Ult. Instit. De suspectis Tutorib.*

Homini interest hominem beneficiò af-
fici. *l. Servus ff. De serv. export.*

Homini est miserendum peccatori ira-
scendum. *Can: duo ista, 23. q. 4.*

Homini gratiâ DEUS omnes fructus fe-
cit. *l. In pecudum. ff. De Usur: Et fructib.*

Homini nihil prodest totus mundus lu-
eratus, si anima detrimentum patiat, *c.*
Mathæus. De Simonia.

Honor celsioribus viris præstandus. *l. 2.*
C. de Offic: divers: Judic.

Honestus amor pendet ex animo, non
ex lucro. *l. 3. ff. De donat int: vir. Et uxor.*

Honestas & boni mores præferuntur om-
nibus divitiis. *l. Humile C. de incest: Nupt.*

Honor vitæ præferendus. *gloss: in l. Isti
quidem. ff. Quod metûs caus.*

Honores acquiruntur per labores. *gloss:*
in l. In bello. ff. De Captiv.

Hosti servanda fides. *l. Conventionem ff.*
de Pactis.

Hi, qui pro Repub: ceciderunt, in perpetuum
per gloriam vivere intelliguntur. *§.*
Filii. Instit. de excusat: Tutor: vel Curat.

Humanum est peccare, sed Angelicum
emendare. *Can: Inter hæc. 33. de Panit: Di-
stin: 3.*

Humanum est opem ferre miseris. *Can:*
Quod proposuisti. 32. q. 7.

Humanitatis habenda est ratio. *l. Si cui. ff.*
Ex quibus causis major Et c.

I.

In Judice debent esse duo soles, Sol con-
scientiæ, & sol scientiæ. *gloss: in l. Hac lege.*
C. De sentent: ex peric: recit.

Ibi debet esse pœna, ubi est noxa. *l. San-
ctimus. C. de Panis.*

Industria plus confert, quàm pecunia. *l.*
Si non ff. pro Soc.

In factò novo, opus est novò consiliò. *l.*
1. ff. De ventr: inspic.

Infideli totus mundus nihil est. *Can: Quid
dicam 14. q. 4.*

In Principe nihil magis splendet, quàm
recta fides. *l. Inter claras. C. de sum: Trinit:
Et fid: Cath.*

Inspiratio ad bonum procedit à DEO,
Clem: 1. in fin: de Relig: Domibus.

Intentio iudicat omnes. *glos: in l. 1. C. Ad Leg: Corn: de Sicar.*

Inter opera charitatis est non minimum errantem ab erroris sui semita revocare. *c. Inter. De Sponsalib: Et Matrim.*

Invocatio Divini nominis semper fieri debet, *Can: In nomine. Dist: 23.*

In humanis nihil mente, ac ratione præstantius. *c. super specula, De Magistris.*

Ille de vita alterius iudicet, qui non habet in se ipso, quod puniat. *arg. Can: Judi: cet. 3. q. 7.*

Imperator habet gladium à DEO. *Can: Quo Fure. Dist: 8.*

Iniquum est, ut quisq; de alio iudicare velit, & de se iudicari nolit. *Can. Iniquum 32. q. 6.*

Iusta desideria nunquam sunt deneganda. *l. Iustum C. de edend.*

Iudex non debet moveri prece, pretio, odio, amore. *glos: in Clem: 1. de Hæretic.*

Iustitiæ est præmia tribuere bene merentibus. *l. 4. C. de stat: Et Imagin.*

Juris Gentium Religio erga DEUM est. *l. 2. ff. De I. Et I.*

L.

L.

Labor non debet esse sine mercede. *§. ne autem. Auth: de Judic.*

Labores faciunt ut quis ad majores Dignitates evehatur. *l. 2. §. Et unum quemq; C. De Offic: Præf: Præt: Afric.*

Lacrymæ & Orationes sunt arma Clericorum. *Can: Convenior: 23. q. 8.*

Laudes & Gratias, quas Domino DEO nostro debemus, nec mens nostra concipere, nec lingua proferre potest. *l. 1. in princ: C. de Offic: Præf: Præt: Afric.*

Lege Dei, non autem lege huius sæculi vivendum. *c. Filius. De Testamentis.*

Libertas est sub Rege iusto vivere. *Auth: De Hæred: Et Falcid: in princ.*

Lingua hominis sæpe fallax. *l. Divus. ff. de Testament. militar.*

Lingua est cordis nuntia. *l. Labeo ff. De Supel: leg.*

Literati sunt Nobiles. *c. De multa. de Præbend: Et Dignit.*

Litis & Belli dubius eventus. *gloss: in l. Quo tempore. ff. De Pecul.*

Lon.

Longe gravius est æternam, quàm temporalem offendere Majestatem. *l. 4. C. De Hæreti: Et.*

Lucem odit malè agens. *c. Consuluit: De Offic: Delegat.*

M.

Magistri Doctrina debet esse humilis. *c. Humilis de Major: Et obed.*

Magistros, & Studiorum Doctores, excellere oportet, moribus primùm, deinde facultiã. *l. Magistros C. de Professoribus, Et Medicis.*

Mala arbor non potest bonos fructus facere. *l. Quodsi nolit. §. Qui mancipia ff. De Edilit. Edict.*

Mala nocentium, non maculant innocentes. *Can. Quàm magnum. 23. q. 4.*

Malitiæ hominum, non est indulgendum. *l. In fundo §. penult: ff. de rei vindicat.*

Malitia supplet ætatem. *l. 3. C. Si Min: se Major. dixer.*

Malum consilium consultori pessimum. *l. Arbitrio. §. Dolo. ff. De dol: mal.*

Mala non sunt facienda, ut eveniant bona.

na. *Can: Primum 22. q. 2. Et Can: Qui ait. Dist: 14.*

Margarethæ non sunt projiciendæ inter porcos. *Can: Nolite. 11. q. 3.*

Melius est pro veritate supplicium pati, quàm pro adulatione beneficium consequi. *Can: Nemo peritorum. 1. q. 3.*

Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. *Can: Non omnis 5. q. 6.*

Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio. *Can: Injustum 11. q. 3.*

Melior est conditio possidentis. *l. Si debitor: ff. De pignoribus Et hypor.*

Melius est jura intacta servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere. *l. ult. C. In quibus caus: rest: in integ: necess: Et c.*

Memoria Justii & laudabilis Viri recordatio debet extolli. *l. Quoniam. C. De Episcopis, Et Clericis.*

Membra à capite discedere non decet. *Can: Non decet. dist: 13.*

Mens non oculus videt. *gloss: in l. Coram Titio ff. De verbor: signif.*

Mentiri DEO potes, DEUM fallere non potes. *Can: Panem. dist: 2. De Consecr.*

Mi-

Militans DEO non debet se immiscere
 sæcularibus negotiis. *c. 1. Ne Cler: vel Mon-*
nachi se immisc: Et c.

Moderatio, Mater est omnium virtutum,
c. 1. De Off: Custod.

Mors omnia solvit. *§. Deinceps. Authent:*
De Nuptiis. Coll: 3.

Mores nobilitant Clericos non genus. *c.*
Venerabilis. De Præben.

Mores præferantur scientiæ. *Can: Sedulo*
dist: 38.

Mores Christianorum boni sunt verus
 ornatus, non auri pompa. *Can: Fucare. Dist:*
5. De Consecr.

Multi nomine pauci re. *Can: Multi,*
Dist: 40.

Mundus illuminatur Scholarum scien-
 tiâ. *Auth: Habita C. Ne Filius pro Patre.*

N.

Nemini jus suum detrahi debet. *§. 2. In-*
stit: de his, qui sui, vel alieni juris sunt.

Nihil est, quod possit perpetuò stare. *l. 2.*
C. De veter: jur: enucl.

Nihil prodest bene agere, nisi mens ab
 ini-

iniquitate revocetur. *Can: Nihil. Dist: 5. de*
Consecr.

Nimis est impium flagitiis præsidia qua-
 rere. *l. 8. C. De Natur: liber.*

Nihil illo Pastore miserius, qui luporum
 laudibus gloriatur. *Can: Nihil. Dist: 38.*

Non Cathedra facit Doctorem, sed Do-
 ctor Cathedram = Non locus virum, sed
 vir locū ornat. *Can: Multi Sacerdotes. dist: 40*

Non verbis tantum, sed corde orandus
 est DEUS, *Can: Non mediocriter. Dist: 5. de*
Consecr.

Non satis est bene velle, sed etiam bene
 facere. *Can: Non satis. Dist: 86.*

Noverca eruditionis, est negligētia. *Can:*
Nihil iste. Dist: 83.

Non est Discipulus supra Magistrum, ne-
 que servus supra Dominum. *Can: Oves: 6.*
q. 1.

Non est crudelitas crimina pro DEO pu-
 nire, sed pietas. *Arg: Can: Legi 23. q. 8.*

Novitates plerumq; querelas, & discordi-
 as pariunt. *Extravag: Inter cuncta. §. Sanc:*
De Privileg. inter commun.

Nullus sine charitate pervenit, quò ten-
 dit. *Can: Charitas. dist: 2. de Penitentia.*

Nul-

Nulli Sacerdotum liceat Sacros canones
ignorare. *Can: Nulli. Dist: 38.*

O.

Obedientia melior est, quàm victima. *c. Illud Dominus. De major. Et Obed.*

Officium nemini debet esse damnosum.
l. 7. ff. Testamenta quemadm: aperiant.

Omnes in Christo unum sumus. *§. illud igitur. Authent: de Monach: Col: 1. Et c. 2. De Sum: Trinit: Et Fide. Cath.*

Omne datum optimum, omne donum perfectum, defursum est descendens à Patre luminum. *Can: Quam pio. 1. q. 2. Et gloss: in l. 2. ff. de Legibus.*

Omne rarum charum. *Auth: de consul: §. 1. Col: 3.*

Omne quod est nimium vertitur in vitium
gloss: in Auth: ut deter: sit nu: prin: col: 1.

Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est. *Can: Omnis. 12. q. 1.*

Omnibus hominibus vitæ terminus est mors. *§. Hæc quidem. col: 1. Auth: de Hæredit. Et Falcid.*

Omnis Christi actio, est nostra instructio.

Actio, *Gloss: in Can: Nihil. 2. q. 1.*

Omnis Magistratus est à DEO. *Novel: 78. in præfat.*

Omnia nova placent. *Authent: de consulat: Collat: 4.*

Operarius dignus est mercede sua. *c. Cum secundum. De Præbend: Et Dignit.*

Oportet nos humiliari sub potenti manu Dei. *Can: Nulli 3. q. 1.*

Optima legum interpret consuetudo *l. 37. ff. de legibus.*

Otium & voluptas, sunt arma hostis antiqui ad miseras animas captivandas. *c. Nisi §. Verum. De Renuntiat.*

P.

Pacem docuit, dedit & reliquit nobis Christus. *Can: Nisi bella. 23. q. 1.*

Par in parem non habet potestatem. *l. Nam Magistratus ff. de Recept: Arbitr: Et c. Innotuit: §. Quamvis. De Elect.*

Patronis debetur honor, & veneratio. *c. Nobis. De Jure patronat.*

Pietas, omnis boni operis studiosissima est mater. *Can: Si qualibet 22. q. 2.*

Prævisa jacula minus feriunt. *gloss: in l. 2. C. De indict: viduit.*

Principis salus, populi salus. *Arg: l. 1. C. De veteranis.*

Prius quisq; discere debet antequam ali-
os doceat. *Can: Non negam9. Dist: 61. Et Can: Si Officia Dist: 59.*

Primus innocentæ gradus est odisse ne-
fanda. *Can: Facientes. Dist: 86.*

Prima salus est, rectæ fidei regulam cu-
stodire. *Can: Prima 25. q. 1.*

Pro meritis subditorum, disponitur à Deo
vita Rectorum. *Can: Non est à plebe. 2. q. 7.*

Q.

Quæ per vim fiunt carere debent robore
firmitatis. *c. Ad audientiã. De iis, quæ vi met. caus: fiunt.*

Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei
Deo. *c. Ex parte 9. De Cler: conjugat.*

Qui per alium facit per se facere videtur
l. Ita autem §. Quod si ff. De Administr: Et perie. Tutor.

Qui prior tempore potior jure. *c. Cum au- tem. De jurepatronatus, Et l. potior. ff. Qui pot. in pign: hab.*

Qui

Qui crimina, quæ emendare potest, non
corrigit, ipse committit. *Can: Præterea. 23. q. 8.*

Qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Deo ne-
sciuntur. *Can: 10. Dist: 38.*

Qui citò dat, bis dat, & qui tardè dat, mi-
nus dat. *§. Non solutum. Institut: de Hi- de jussor.*

Qui facit justitiam, acceptus est Deo. *c. Ad decorem. De Institutionib.*

Quos DEUS conjunxit, homo non sepa-
ret. *c. 2. De translat: Episcop.*

Quod communiter omnibus prodest, hoc
privatæ utilitati præferendum est. *l. Unici §. 4. C. De Caducis tollentis.*

R.

Rarum est omne, quod magnum est.
Can: Si Officia. Dist: 59.

Recedant verba, quæ vanitatem inflant,
charitatem vulnerant. *Can: Ecce. Dist: 99.*

Receptor Beneficii beneficientibus bene-
facere debet. *l. Sed et si §. consuluit ff. de pe- tit: hæredit.*

Rectores debent non tantum præesse, sed

L2

eti-

etiam prodesse. *c. Sicut nobis. De supplend: neglig: Prælat.*

Res inter alios acta non debet aliis præjudicium generare. *c. Inter dilectos, De donationibus.*

Reverentia magis vitæ, quam Dignitati debetur. *Can: Non omnes 2. q. 7.*

Ridiculum est eos velle docere, qui nondum scire didicerunt. *gloss: in Authent. Col: 9. seu Novell: 113.*

S.

Sacerdotes sunt Patres, & Magistri Regum, & Principum. *Can: Quis dubitet. Dist: 90.*

Sacerdos ignorans non excusatur. *Can: Si in Laicis. Dist: 38.*

Sanctius est, paucos bonos, quàm multos malos habere ministros. *c. Cum sit ars. De etat: Et qualit: Et ordine præfic.*

Sancti non dicuntur, qui loca Illorum tenent, sed qui merita. *Can: Non loca. Dist: 40.*

Senectus est venerabilis. *l. 5. ff. De jure Immunitatis.*

Sæ-

Sæpe malorum consortia bonos corrumpunt. *Can: Sæpe. 28. q. 1.*

Si pro Causis corporalibus cogitamus, quantò magis pro animarum salute providentia nostræ sollicitudinis est adhibenda. *Novel: 115. Cap: 3. §. Si quis. in fin.*

Simulata charitas nihil prodest. *Can: Ficta charitas. Dist: 2. de Pœnit.*

Scholasticis nulla debet fieri injuria. *Authent: Habita. C. Ne Fil: pro Patr.*

Suz quisq; rei moderator est, & arbiter. *l. 21. C. Mandati Et c.*

Summa ratio est, quæ pro Religione facit. *l. 43. ff. de Relig: Et sumpt: fun.*

T.

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes. *c. Quem admod: §. alioquin. De jure jurand.*

Turpe est Patritio, & nobili Viro jus in quo versatur ignorare. *l. 2. §. 43. ff. De Origin: Juris.*

Turpis est omnis pars suo universo non congruens. *Can: quæ contra. Dist: 8. Et c. Cum omnes. De Constit.*

Lo

Tur-

Turpitudinem propriam allegans non debet audiri. *l. Mercenalem. C. De Condi. ob turp. causas.*

V.

Vana sine viribus ira. *Novel: 26. c. 1. §. 1.*

Verborum prolixitas à jure respuitur. *l. Ampliorem. §. In refutatoriis. C. de Appellat. Vim vi repellere licet. l. ut vim. ff. De Justitia Et Jure.*

Virtutum omnium mater est discretio. *C. 1. D. Offic. Custod.*

Vita & Fama pari passu ambulant. *l. 9. ff. De manumiss: vindic.*

Utilitas publica est præferenda privatæ. *l. 3. C. D. Primpilo.*

Volenti non fit injuria. *l. 1. §. Usq. ff. De Injuriis.*

Ubi Christus non est Fundamentum, nul lum boni operis est superædificium. *Can: Cum Paulus 1. q. 1.*

Ubi non est ordo, ibi manet confusio. *l. Quæcumq. ff. De Actionib: Et oblig.*

Unus pro alio puniri nequit. *l. Divi Fra tres*

tres 17. ff. De Jure Patronatus.

Una est omnibus Parentibus servanda re verentia. *l. 6. ff. De in Jus vocando.*

Unitas & pax vinculum charitatis. *c. No vit: §. Licet autem. De Jud.*

Unius dictum, dictum nullius. *l. Juris jurandi. C. de Testibus.*

Unus vigilat pro pluribus. *Can: In apibus 7. q. 1.*

Unicuiq. in sua arte perito credendum est. *l. 1. §. ff. De vent: in Poss: mitt.*

Venia non datur, nisi correcto. *c. 5. De R. I. in 6to.*

HINC

Supremo Legislatori DEO

CVIUS VERBA

Sunt Judicia atq. præcepta & leges,
Lev: 26. v. 45.

LAUS, HONOR, & GLORIA
SINE TERMINO.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and staining.

LIBRARY
OF THE
MUSEUM OF
ART AND
ARCHAEOLOGY
CANTON
MASSACHUSETTS

